MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80261-9

AUTHOR:

RAABE, BERTHOLD

TITLE:

DE GENETIVO LATINO
CAPITA TRIA

PLACE:

REGIOMONTI

DATE:

1917

Master Negative #

Master Negative #

91-80261-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

877.52
R11

Raabe, Berthold, 1891-
De genetivo latino capita tria. Dissertatio inauguralis, quam ... scripsit Berthold Raabe ...
Regimonti, Ex officina Hartungiana, 1917.
103 p. 22 cm.

Thesis, Königsberg.

17473

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-17-92 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


Latin language - Syntax




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

















DE GENETIVO LATINO CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BERTHOLD RAABE
ALLENSTEINENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
MCMXVII

Gedruckt mit Genehmigung
der Philosophischen Fakultät der Kgl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Professor Dr. Deubner.

LUDOVICO DEUBNER
sacrum

Argumentum.

In scriptorum locis afferendis isdem compendiis usus sum ac Thesaurus linguae latinae, nisi quod Plaut. et Ter. 'abularum nominibus anteposita omisi.

Prooemium.

Artem longam esse atque in dies e quaestionibus solutis hydrae in modum novas parere dubitationes neque umquam a mortalibus exhauriri posse quis est qui nesciat? Hoc etiam in artem grammaticam latinam cadit, cuius inter partes hac quidem aetate imprimis syntaxis digna est quae a viris doctis diligenter colatur atque excutiatur, quoniam tantum abest ut ab omni parte perfecta sit atque absoluta.

Quod cum mihi persuasissimum esset, animum induxi ut pro mea parte aliquid conferrem ad syntaxin diligentius pernoscendam. Quoniam mens maxime tenebatur casuum syntaxi, e genetivi doctrina tria capita elegi, quorum rationes indagarem perpenderem in medium proferrem. Atque ne nimia locorum copia chartam explerem, sedulo operam dedi, ut e prisca tantum latinitate exempla congererem quam plurima, cum ex usu antiquissimo antiquissimas notiones manifestas fieri par sit. Terminum, ultra quem raro progressus sum, annum 78 a. Chr. n. statui, ita ut etiam artem rhetoricam ad Herennium quae dicitur et Ciceronis adulescentis opera[1]) in usum meum converterem.

1) cf. E. Norden, Die antike Kunstprosa, Lpz. 1898, 1, 225 sqq.

Neque inutile fore id quod susceperam eo magis speravi, quia compendia artis grammaticae quae nobis suppetunt tales quaestiones nimis breviter perstringunt interdumque rationes tradunt obsoletas. Praeterea priscum sermonem parum respiciunt, exempla admodum rara praebent. Attamen his viginti annis commentaria in lucem sunt edita, e quibus illa quoque compendia aliquid fructus capere potuerint[1]).

Magnopere nocuit rationibus recte cognoscendis, quod unaquaeque fere structura parum usitata viris doctis ad graecae linguae exemplum formata esse videbatur[2]). Quamquam non deerant qui contradicerent[3]), tamen haec ratio grammaticae latinae tractandae gradatim dumtaxat sensimque veram in viam induci potuit; neque enim fugit viros doctos graecismos ei potius tempori, quo omnes auctores Romani graeca doctrina imbuti exempla graeca summo opere imitari studebant, tribui posse quam priscae aetati. Qua imprimis Plautum nihil nisi sermonem Latinum scriptis mandasse scienter nos docuit Leo[4]). Qui e prisci sermonis syntaxi graecismos fere eiecit, quam opem ferrent priscae dialecti italicae ostendit, exempli loco nonnullas genetivi structuras tractavit.

At non modo e dialectis italicis sed etiam e linguis cognatis, quas indogermanicas vocare consuemus, fructum percipi posse praeter alios nos docuerunt

1) Etiam Bennett, Syntax of early Latin II, Boston 1914, in quaestionibus solvendis parum profecit, licet permagnam materiem congesserit.

2) Permultos graecismos composuit I. Brenous, Étude sur les Hellénismes dans la syntaxe latine, Paris 1895.

3) Acerrimis verbis invectus est in istanc opinionem E. Hoffmann NJb 109 (1874) 545 = Stud. auf d. Gebiet d. lat. Synt. Wien 1884, 101 sq.

4) Plaut. Forsch., ²Berlin 1912, 89. 103a 3. cf. etiam Norden l. l. 193.

Delbrück[1]) et Brugmann[2]). Quorum opera cum uberrima exemplorum copia nobis suppetit tum quibus rationibus singula exempla coniungamus atque toti usui inseramus clarius patet quam antea. Velut linguarum historia refutari mihi videtur error ille etiamnunc a nonnullis grammaticis pervulgatus, qui putant genetivum qualem 'huius rei memini' e notione substantiva pendere quae verbo sit insita, animo enim loquentium obversari iuncturam 'memoriam huius rei habeo' vel similem quandam; illud substantivum nempe quia verbo iam contineatur atque per se intellegatur semper omitti. Simili modo alias quoque constructiones interpretantur, velut genetivum verbis iudicialibus appositum. Sed quid quod tales iuncturas etiam in aliis dialectis indogermanicis offendimus? Num in his quoque istius modi ellipsin fieri putemus? Minime, immo genetivi ipsius vim in his structuris servatam esse multo est verisimilius.

At dicat quispiam in omnibus linguis evenire, ut particulae vocesque quasi supervacaneae omittantur, ut novae structurae oriantur vi analogiae motae, ut casuum vis obscuretur vel etiam funditus intereat. Quod nequaquam negari posse ingenue fatemur; sed quatenus in prisca latinitate vis casuum servata vel potius a loquentibus intellecta fuerit, iam est considerandum.

Primum quaestio oritur, quae fuerit principalis genetivi notio. Sed de hac quaestione solvenda viri docti paene desperaverunt; nam notio 'relationis' a nonnullis grammaticis statuta tam mediocris est et imbecilla atque adeo caret significatione certa, ut non sufficiat ad omnes usus derivandos explicandosque.

1) Vgl. Synt., Strassburg 1893 sqq.

2) Kurze vgl. Gram., Strassburg 1904, 417 sqq; Grdr. d. vgl. Gram., Strassburg, II 2 ²(1911) 464 sqq.

Accedit quod maxima dissensio est, utrum usus adnominalis prior sit an adverbalis. Quam dirimere non meum est; Hermanno[1]) potius assentior, qui postulat, ut prius singularum linguarum statuatur usus quam accedatur ad rationem quae valuerit in lingua indogermanica investigandam.

Similiter monuit Delbrück[2]) non notionem universam genetivi iis qui verba faciant ob oculos versari, sed usum in varias partes dispositum esse et unamquamque partem a loquentibus separatim disci atque adhiberi. Hanc rationem usque adhuc valere etiam in lingua germanica multis exemplis comprobavit. Quaestionem igitur hoc modo circumscribamus oportet, ut nobis definiendum sit, quaenam fuerint partes vel potius genera genetivi in prisca latinitate.

Quod si accipimus, porro considerandum est nonnullas inveniri loquendi formulas singulares quae nulli generi ascribi possunt, quia genus quo antea erant comprehensae interiit. Cuiusmodi exempla etiam in sermone latino sunt obvia; velut 'nox' i. e. noctu, quod olim ad genetivum temporis pertinebat[3]), quem cum in aliis linguis indogermanicis[4]) tum in dialecto osca[5]) invenimus.

---

1) Über das Rekonstruieren, Zs. f. vgl. Sprf. 41 (1907) 61.

2) Die Grundbegriffe der Kasus und Modi NJb 9 (1902) 317 sqq.

3) cf. Walde, lat. et. Wb.² 526. Solmsen, Studien zur lat. Lautgeschichte, Strbg. 1894, 192. A. Meillet, A propos d'un emploi du génitif dans l'expression 'de nuit', Mém. de la soc. de linguistique de Paris 18 (1913) 238 sqq.

4) cf. Brugmann, Grdr. d. vgl. Gram. II 2² 573 sq.

5) cf. v. Planta, Gram. der oskisch-umbrischen Dialekte II, Strbg. 1897, 412; Tab. Bantina l. 16 sq. 'eisucen ziculud zicolom XXX nesimum comonom ni hipid' ab eo die in diebus XXX proximis comitia ne habuerit.

Itaque genera quae investigare nobis est propositum, et modo et numero exemplorum inter se differre possunt; hoc genus late patet, illud fortasse e paucis exemplis cognoscitur; velut genetivus possessivus usitatissimus est iam in prisca latinitate, contra genetivus qualitatis raro invenitur postea magis magisque in usum recipitur.

At quoniam de tribus genetivi latini generibus agere satis habeo, rationes quas sequi debeamus artius circumscribere liceat. In universum dici potest verborum quae cum genetivo coniunguntur numerum tempore procedente in litterarum quidem sermone minui, in lingua autem vulgari nonnullas servari iuncturas, quae ab eruditioribus spernuntur atque evitantur[1]); velut verbum 'vereri' a Cicerone uno loco c. gen. componitur ad Att. 8, 4, 1, nempe in epistularum sermone, quem usu cottidiano plenum esse inter omnes constat. Ergo, si pauca eiusdem generis habemus exempla, ea reliquias esse usus antiqui veri simile est.

Omnibus igitur exemplis quae ad unum idemque genus pertinent collatis primum similes structurae latinae sunt comparandae, quae si desunt, dialecti italicae, ad extremum linguae indogermanicae sunt adeundae, ut perspiciatur ratio qua unaquaeque constructio nitatur.

Neque modo quod ad usum sed etiam quod ad formam attinet genetivus in diversas partes est divisus, quas declinationum ordinibus significari omnibus notum est. Dialectorum indogermanicarum ope terminationes numeri singularis in lingua latina obvias ad duas formas referre possumus: hinc *-os -es -s*, illinc *-ī*. Contra genetivi pluralis suffixum *-om* om-

---

1) cf. Norden, Ant. Kunstprosa 1, 191; W. Kroll, Moderne lateinische Syntax NJb 25 (1910) 318 sqq.

nes ordines exhibent atque simile *(sōm)* pronominibus est proprium, quae numero singulari formas praebent adhuc ferme obscuras[1]).

Sed quid hoc ad rem? quaeris. Magni quidem referre arbitror, utrum his formis diversis diversae quoque notionis provinciae responderint necne.

Primum quod ad formam *-os -es -s* attinet illam etiam ablativi formam fuisse inter omnes constat; quem casum numero singulari in lingua indogermanica nonnisi in stirpibus *-ŏ* vocalis ope formatis suffixo proprio *(-ōd)* fuisse praeditum verisimile est[2]). Itaque Meillet[3]) imprimis genetivum partitivum ex ablativo derivandum esse contendit; quam explicationem ideo haud ita aptam esse censeo, quia in lingua latina non modo accurate distinguitur ablativi usus a genetivi usu, sed etiam aliae stirpes ad stirpium in *-ŏ* exeuntium analogiam novas ablativi formas finxerunt.

Quod de suffixi *-ī* natura multo certius asseverare possumus, Wackernagelii[4]) acumini debemus; qui hanc terminationem e praeverbali *-ī* cuius in lingua indica multa extant exempla ortam esse censet[5]). Ac prospere cum hac explicatione congruit quod nonnulla genetivi latini genera, quibus lingua latina discrepat a reliquis dialectis indogermanicis, ad hoc suffixum, cui 'nominis' vel 'tituli' inerat significatio, multo facilius referre possumus quam ad

1) cf. Stolz, Lat. Laut- u. Forml.[4], Münch. 1910, 199 sqq.
2) cf. Brugmann, Kurze vgl. Gram. 382.
3) Remarques sur le sens du génitif indoeuropéen, Festschrift f. Vilhelm Thomsen. Leipzig 1912, 21 sqq.
4) Genetiv und Adjektiv, Mélanges de linguistique offerts à F. Saussure, Paris 1908, 125 sqq.
5) Hanc explicationem acceperunt Bennett, Syntax of early Latin II, Boston 1914, 8 sqq; Sommer, Hdb. d. lat. Laut- u. Forml., [2·3] Heidelberg 1914, 341; Krit. Erl. 103 sqq.

genetivi genuini rationem. Ex hoc suffixo alteri declinationum ordini terminationem genetivi obtigisse collegit Wackernagel; nostrum erit ostendere, quibus in genetivi generibus priscae illius notionis vestigia deprendere possimus, id quod in tertio huius opusculi capite disseretur.

Caput primum.

De genetivo rei.

I. De genetivo rei verbis iudicialibus apposito.

Genetivus cum verbis iudicialibus quae dicuntur coniunctus in universum significat rem ad quam actio verbo expressa pertinet. Itaque hoc genetivi genus genetivum rei appellandum censeo secutus Brugmannum, qui hoc nomen 'Genetiv des Sachbetreffs' in medium protulit[1]). Nomen genetivi criminis non omnem huius genetivi usum complecti infra apparebit, nomen autem genetivi poenae, quod viri docti alias statuerunt, nullo modo quadrare vidit Audouin[2]), qui suo iure genetivum poenae e duobus generibus genetivi ortum esse dicit, e genetivo pretii et e genetivo rei de quo nobis agendum est. Nam notio poenae ut exemplum afferam verbo multandi addita casu ablativo i. e. instrumentali exprimitur, quoniam poena est instrumentum quo quis multatur. Sed in hanc rem exemplis demum allatis infra inquirendum esse puto.

verba accusandi.

insimulare. Amph. 477 insimulabit eam probri. 887 sq. neque me perpetiar probri / falso insimulatam. Amph. frg. 9 (Non. 237) non causam dico quin vero insimules probri (dico

1) Kurze vgl. Gram. 438.
2) Le génitif de la peine en latin, Revue de philologie 14, 1890, 111 sq.

verum quin simules, corr. Brandt, Schroeder). Mil. 364 sq. servos, qui probri me maxumi innocentem / falso insimulavit? 396 neque me quidem patiar probri falso impune insimulatam. 508 sq. quodque concubinam erilem insimulare ausus es / probri pudicam meque summi flagiti. Phorm. 359 si erum insimulabis malitiae, male audies. c. acc. substantivi Amph. 859 sic me insimulare falso facinus tam malum. c. acc. neutr. pron. Amph. 820 istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet. Aul. 287 sq. atque ego istuc, Anthrax, alio vorsum dixeram, / non istuc quo tu insimulas (quod, corr. Bothe). Mil. 392 id me insimulatam perperam falsum esse somniavi. Persa 129 non ad istuc (scil. utendum) quod tu insimulas. Lucil. 1017 haec tu me insimulas? Pronomen 'me' iis locis, quibus non additum est verbo insimulandi, facile e contextu verborum suppleri potest.

arguere. Amph. 882 sq. ita me probri, / stupri, dedecoris a viro argutam meo! 897 sq. qui me miseram arguit / stupri, dedecoris. Rhet. Her. 2, 26, 41 si quis quem furti arguat. Cic. S. Rosc. 53 qui tanti sceleris argueret. Pseud. 746 ecquid argutust? # malorum facinorum saepissime. Quo loco verborum lusus [1]) extat, vox enim 'argutus' et astutum hominem significat t accusatum sive convictum (quod ait Prisc. gramm. II 505 de hoc versu disserens). De genetivo voci 'argutus' i. e. 'callidus' addito vide infra. c. acc. neutr. pron. Amph. 885 quae neque sunt facta neque ego in me admisi arguit. Men. 936 / 40 egomet haec ted arguo. Caecil. com. 149 ea me clam se cum mea ancilla ait consuetum. id me arguit. De Ciceronis qui sequuntur locis dubitari potest, utrum accusativus pronominis pro accusativo limitationis ut ita dicam sit habendus an pro obiecto verbi, ut Thes. 2, 553, 61 sqq. docemur. Quae sententia fulciri videtur iis locis, quibus constructio passiva legitur. S. Rosc. 45 quid arguas non habes. inv. 2, 75 illud, quod ipse arguat. S. Rosc. 76 multa sunt falsa, iudices, quae tamen argui suspiciose possunt. inv. 2, 75 85 id quod arguitur. cf. inv. 1, 15 33. c. prp. de S. Rosc. 82 de quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. inv. 2, 37 negare oportebit de vita eius et de moribus quaeri, sed de eo crimine, quo de arguatur. c. abl. inv. 2, 36 si eo ipso in genere, quo arguetur integer ante fuisse demonstrabitur.

———

1) cf. Lorenz ad. Pseud. 725; Blase BphW 10, 1890, 610.

accusare. Amph. 869 sq. Alcumenae, quam vir insontem probri / Amphitruo accusat. Rhet. Her. 1, 12, 22 si quis peculatus accusatur. Cic. inv. 1, 18 Orestes si accusetur matricidii. 1, 94 ut, si qui, cum ambitus accusabitur, manu se fortem esse defendet. 2, 72 (imperator) accusatur maiestatis. c. acc. pron. neutr. Trin. 96 si id me non accusas. Haut. 352 ne quid accusandus sis vide. Cic. inv. 1, 94 si non id, quod accusabitur, defendet (simili modo dictum est quo supra arguere passive usurpatum). Asin. 173 quid me accusas, si facio officium meum? 'quid' pro 'cur' habendum est, cf. Thes. 1, 352, 35 sq. 'non addito crimine'). c. prp. de Cic. S. Rosc. 90 sescenti sunt, qui inter sicarios et de veneficiis accusabant. c. prp. ob Hec. 205 quam ob rem accuser nescio.

accusitare c. neutr. pron. Most. 712 nihil erit, quod deorum ullum accusites.

incusare. Truc. 160 qui alterum incusat probri. c. acc. neutr. pron. Phorm. 913 sq. omnia, / quae tute dudum coram me incusaveras.

arcessere. Rhet. Her. 1, 11, 18 (Teucer Ulixem) capitis arcessit. 1, 12, 21 accersitur Caepio maiestatis. 1, 15, 25 (Popilius) accersitur maiestatis. Cic. inv. 2, 52 (pater) arcessitur maiestatis. 2, 74 maiestatis arcessitur. 2, 97 cum omnes studio eius subitam fluminis magnitudinem scirent fuisse impedimento, tamen quidam capitis arcessierunt.

captare. Amph. 821 tu si me inpudicitiai captas, capere non potes.

prehendere. Bacch. 696 quem mendaci prendit manufesto modo. c. prp. in Asin. 563 in furto ubi sis prehensus. 569 ubi prensus in furto sies manifesto et verberatus. Bacch. 950 ⟨in⟩ dolis ego prensus sum (in add. Leo). Cato orig. 131 P (Ps. Frontin. strat. 4, 1, 16, num verba Catonis exscripserit dubitari potest) M. Cato memoriae tradidit in furto comprehensis inter commilitones dextras esse praecisas. Cic. inv. 2, 14 cum in alio maleficio deprehensus est. Dubius est locus Gell. 11, 18, 7 quo lex XII tab. (tab. 8) tractatur, sed num verba legis sint vel auctor ad legis verba spectet incertum est: furem, qui manifesto furto prensus esset (Hosius adnotat: 'malim ⟨in⟩ man. vel manifesti furti'. sequitur § 8 servos item furti manifesti prensos verberibus adfici).

tenere. Amph. frg. 15 (Non. 453) manifestum hunc obtorto collo teneo furem flagiti (lemma Nonii 'furtum omne

quidquid occulte geritur' ergo furti Loewe, Goetz;. manufesto Schroeder). Truc. 132 manifesto mendaci, mala, teneo te.

manum inicere. Persa 70 sq. ubi quadrupulator quempiam iniexit manum, / tantidem ille illi rursus iniciat manum. Truc. 762 post id ego te manum iniciam quadrupuli, venefica (tibi Schoell, initiam quadrupiis beneficia, corr. Camerarius).

adstringere. Poen. 737 homo furti sese adstringet (furtis est, corr. Pareus). Rud. 1260 et ipsum sese et illum furti adstringeret.

se adligare, obligare. Eun. 809 hic furti se adligat. Q. Scaev. (Gell. 6, 15, 2) quod cui servandum datum est, si id usus est, sive, quod utendum accepit, ad aliam rem, atque accepit, usus est, furti se obligavit.

inducere. Poen. 1336 sq. rapiamus in ius. # minime # quapropter? # quia / iniuriarum multo induci satius est. Leo cruce voci 'iniuriarum' proposita adnotat: 'oppos̄ita sunt induci et rapiamus; iocatur Hanno non negans in ius vocandum esse, quasi negans rapiendum esse. corruptum, cuius in hac re nullus locus est, iniuriarum, ac scribendum videtur in ius ⟨bonum⟩ virum multo'. Equidem censeam opposita esse 'in ius' et 'iniuriarum', frigido sane et scurrili lepore, atque eodem modo opposita esse 'rapiamus' et 'induci'. Quod quidem intelleges, si versum in scaena dictum finges (Langeno, qui Plaut. Stud. Berolini 1886, 351 de hoc loco egit, assentiri non possum).

diem dicere. Lucil. 783 minitari aperte, capitis dicturum diem.

nomen deferre. Cic. inv. 2, 58 cum venefici cuiusdam nomen esset delatum.

notare. Cato or. frg. 24, 2 J. impolitiae notabatur.

reus. Cist. 164 quoniam reum eius facti nescit qui siet. Cic. inv. 2, 59 in reum capitis praeiudicium fiat.

dica. Phorm. 329 enumquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?

verba agendi.

agere. Rhet. Her. 1, 14, 24 cum eo Accius iniuriarum agit. 2, 13, 19 M. Drusus praetor urbanus, quod cum herede mandati ageretur, iudicium reddidit. 1, 12, 22 si quis peculatus accusatur . . . possit dicere . . . secum furti agi, non peculatus oportere. Cic. inv. 2, 59 agit is, cui manus praecisa est, iniuriarum. c. prp. de Quinct. 46 de re agendi . . . potestas.

S. Rosc. 103 cum de bonis et de caede agatur. 'Agitur de aliqua re' prope accedit ad significationem 'tractare aliquid, quaerere aliquid' e. g. S. Rosc. 103 qui et illorum ipsorum bonorum de quibus agitur emptor atque possessor est. inv. 1, 41 quod simile erit ei negotio, quo de agitur. 1, 81. 103. 104. cf. Thes. 1, 1391, 62 sqq.

capitis comitia habere. Pseud. 1232 Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia. c. prp. de Aul. 700 ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia. c. dat. Truc. 819 meo illic nunc sunt capiti comitia. res Trin. 961 sq. eine aurum crederem, / quoi, si capitis r̊es sit, nummum numquam credam plumbeum? Phorm. 631 non capitis ei res agitur, sed pecuniae-

lis. Lex repet. CIL 1, 198, 7 eius rei slis.

causa. Cic. Quinct. 32 ut aut ipse se capitis damnaret, si satis dedisset, aut causam capitis, si sponsionem fecisset, priore loco diceret. 71 causam capitis dicas oportet. 95 horribile est causam capitis dicere. c. prp. de S. Rosc. 76 causa de parricidio dicitur.

convincere. Rhet. Her. 4, 16, 23 maiores nostri si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum maleficiorum convictam putabant. c. prp. de Truc. 486 qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient. c. prp. in Cic. inv. 2, 32 si quo in pari ante peccato convictus sit.

verba damnandi.

damnare. Rhet. Her. 4, 16, 23 cf. s. v. convincere. ibid quam inpudicam iudicarant, ea veneficii quoque damnata existimabatur. ibid. veneficii damnatam quid putabant? Cic. Quinct. 32 ut aut ipse se capitis damnaret. c. abl. Rhet. Her 4, 24, 33 at eum vos iurati capite damnastis. c. prp. de 1, 11, 20 qui de pecuniis repetundis damnatus sit. ib. augur quidam damnatus de pecuniis repetundis.

condemnare. Most. 1099 tanto apud iudicem hunc argenti (de quo agitur!) condemnabo facilius. Cato agr. praef. 1 maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli. (Suppl. edd. Lex. Bant. CIL I 197, 11 sei condemnatus ⟨erit, quanti condemnatus erit, praedes⟩ ad q. urb. det. Lex repet. I 198, 23 ⟨quei pecuniae captae condemnatus est erit⟩.) voti condemnare (in Bezug auf ein Gelübde, zur Erfüllung eines Gelübdes) Inscr. Vertuleior. CIL I 1175, 10 sq. (carm. epigr. 4,5) semel

te orant, se ⟨u⟩oti crebro condemnes. Titin. com. 153 nunc eius voti condemnatust, immolavit hostiam. Turpil. com. 128 quando quidem voti condemnata est. c. prp. de Truc. 486 qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient.

absolvere. Lex repet. CIL I 198, 55 is ex hace lege eius rei apsolutus esto. Rhet. Her. 2, 13, 19 C. Caelius iudex absolvit iniuriarum eum, qui Lucilium poetam in scaena nominatim laeserat.

Subiungantur hoc loco:

satisfacere. Rhet. Her. 4, 27, 37 quod iniuriarum satis fecisti L. Labeoni, nihil ad hanc rem pertinere puto.

testes dare. Men. 811 sq. summum Iovem / deosque do testes — ⌗ qua de re aut cuius rei rerum omnium? ubi praepositio 'de' non aliter ac genetivus usurpata est.

Cui generi propinqua sunt exempla infra p. 15 sq. allata.

Quibus exemplis plane apparet genetivum verbis iudicialibus additum nihil aliud significare nisi rem ad quam actio verbo expressa pertinet; id quod probatur exemplis particulae 'de' c. abl. positae, quae supra attuli[1]). Ad genetivum cum verbis accusandi vel agendi coniunctum, qui rem de qua agitur significat, nomen genetivi 'criminis' plerumque quadrare concedatur, sed quid de verbis damnandi cum genetivo coniunctis statuendum est? Etsi idem concedi potest de tribus exemplis verbi damnandi e Rhet. Her. petitis, nullo modo de genetivo criminis cogitari potest loco Catonis s. s. 'furem dupli condemnari' neque de illo Ciceronis 'ut ipse capitis se damnaret'. Genetivum his locis usurpatum nonnulli viri docti genetivum poenae appellaverunt; contra dixerunt Kühnast[2]) et Draeger[3]), qui hunc genetivum scilicet a verbis accusandi translatum ellipsi vocis 'cri-

1) cf. Kühner-Stegmann, Ausf. lat. Gram. II 1, 465 adn. 8.

2) Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax², Berlin 1872, 83.

3) Hist. Synt. ²1, 486; cf. Kühner-Stegmann II 1, 464.

mine' explicabant; Schmalz[1]) autem vocem 'iudicio' subaudiendam esse conicit. Reisig[2]) genetivum poenae eundem esse dixit atque genetivum pretii. Arbitri partibus susceptis optime de hac re egit Audouin[3]): primum a genetivo 'capitis' segregandos esse genetivos 'tanti, quanti, dupli' sim.; hos esse genetivos pretii a verbis emendi vel aestimandi translatos, quorum sensus, quoniam cum verbo damnandi fuerint conexi, ex universo mutatus sit in peculiarem sensum multae duplae vel quadruplae; atque hoc modo e genetivis pretii 'poenae' genetivos esse factos. Deinde de genetivo 'capitis' haec fere disserit. Neque umquam illum fuisse genetivum pretii neque 'caput' significare poenam mortis sed e contrario in sermone vulgari 'vitam', in iurisconsultorum sermone 'summam iuris civilis, quae ad personam attineat'. 'Res capitales, iudicium capitale' appellari omnes res ad condicionem civilem pertinentes, idque probari his locis: Cic. Quinct. 32 capitis damnare, 33 iudicium esse non de re pecuniaria, sed de fama fortunisque P. Quinctii vides. Ergo 'caput' neque significare 'poena capitalis' neque 'crimen capitale'. 'Capitis accusare, damnare' idem esse atque 'accusationem instituere, sententiam pronuntiare quae pertineat ad 'caput' notione iudiciaria acceptum'. Non esse cur sumamus 'capitis damnare' formatum esse ad exemplum iuncturae 'capitis accusare' neque subaudiamus 'crimine', ut hanc explicemus locutionem, immo utroque loco genetivum relationis extare velut in verborum 'memini, obliviscor' structura.

1) Lat. Synt. u. Stil.⁴ 367 sq.

2) Reisig-Haase-Landgraf, Vorles. 580 sqq. adn. 537 sq.

3) l. p. 7 l. Ellipsin refutavit etiam J. Golling, Zur Lehre vom Genetivus criminis im Lateinischen, Gymnasium 19, 1901, 374 sqq.

Habeo quae his verbis addam, sed pauca. De ellipsi nequaquam cogitari posse etiam testimonio linguarum quae prisco sermoni latino cognatae sunt manifestum fit[1]). Imprimis exempla ex Oscae dialecti monumentis petita Romanorum usum dicendi optime illustrant. Legitur in tabula Bantina l. 24 manim aserum eizazunc egmazum pas exaiscen ligis scriftas set 'manum adserere de eis rebus quae h. l. scriptae sunt' et l. 13 sq. suaepis . . . altrei castrous auti eituas zicolom dicust 'si quis alteri capitis aut pecuniae diem dixerit'. Non assentiri possum explicationi quam protulit R. de Planta[2]); nam quamquam usum latinum recte confert, tamen dubitanter addit: 'doch ist bei letzterem (l. 13) der Gen. eigentlich von zicolom abhängig und bei ersterem (l. 24) könnte man an die Verba des Greifens etc. im Griech. . . . erinnern (event. wäre auch l. cupio mit Gen. zu vergleichen)'; equidem lectorem relego ad formulas 'manum inicere, diem dicere' supra tractatas, quibuscum hunc usum prorsus puto convenire. Deinde genetivus eodem modo a Graecis usurpatur, cf. Brugmann-Thumb, Gr. Gram. [4] München 1913, 446 sq.[3]), Kühner-Gerth, Ausf. Gr. d. gr. Spr. II 1[3], 1898, 380 sq.; K. Meister, Idg. Forsch. 18, 1905, 159 sqq., qui exempla praestantia huius usus e titulis Creticis composuit et explicavit.

---

1) cf. Brugmann, Grdr. d. vgl. Gram. II 2[2], 1911, 578 sq.

2) Gram. d. oskisch-umbrischen Dialekte II (Strbg. 1897) 413.

3) ad vocem 'capitis' explicandam cf. 447: Ob der Gen. der Strafe bei *κρίνειν* u. dgl. hierher gehört, ist unsicher; für die Auffassung von *κρίνειν θανάτου* 'einem den Prozess machen so, dass es sich um den Kopf handelt', spricht jedoch die Ersatzkonstruktion *ὥστε τῶν στρατηγῶν ἕκαστος δὶς καὶ τρὶς κρίνεται παρ' ὑμῖν περὶ θανάτου* Dem. 4, 47.

II. De genetivo rei verbis alterius notionis nec non adiectivis apposito.

At nequaquam indigemus linguarum externarum ad usum de quo agitur explicandum, nam in ipso prisco sermone Romanorum habemus exempla genetivi rei liberius usurpati, quae quidem a grammaticis varie explicantur; equidem omnia quae sequuntur exempla sub nomine genetivi rei complexus id tantum congero et quasi in horreo condo, quod nonnulli viri docti infra nominandi pro sua quisque parte reppererunt. Sed omnibus exemplis collectis opus esse duco, ut eluceat clare et distincte hic modus loquendi, quo iam Romani admodum raro usi esse videntur; nam praeter verba iudicialia nullus fere ordo verborum in loquentium animo tam arte cohaerebat cum hoc genetivo, ut firma constansque consuetudo efficeretur. Alia est adiectivorum ratio; nam interdum non diiudicari potest, utrum genetivus rei sit agnoscendus an sequatur adiectivum similium vocabulorum structuram. Materiam hoc ordine liceat disponere: Primum ascribam exempla verbis iudicialibus propinqua, deinde locos quibus hic genetivus verbis credendi appositus est; nam et hic usus, quamquam exemplorum numerus exiguus est, admodum videtur firmus fuisse. Subsequuntur reliqua verba cum genetivo rei coniuncta et adiectiva, quae huic capiti attribuenda esse puto.

l e x e s t o. Lex Bant. CIL I 197, 12 sei quis mag(istratus) multam inrogare volet, ⟨quei volet, dum minoris⟩ partus familias taxsat, liceto, eiq(ue) omnium rerum siremps lexs esto, quasei . . . Lex repet. CIL I 198, 73 sq. deque ea re eiei praetori quaestorique omnium rerum, quod ex hace lege factum non erit, siremps lex esto, qua⟨sei . . ⟨genetivum rei agnovit Wordsworth, Fragments and Specimens of early Latin, Oxf. 1874, 424: omnium rerum 'in all matters' 'about all matters'. For a similar genitive of relation cp. 'the common

formula 'eius hac lege nihil rogatur' [e. g. Lex Anton. de Term. CIL I 204, II 30]).

condicere vetus formula patres consulendi Liv. 1, 32, 11 'quarum rerum litium causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato Priscorum Latinorum hominibusque Priscis Latinis, quas res nec dederunt nec solverunt nec fecerunt, quas res dari fieri solvi oportuit, dic' inquit ei, quem primum sententiam rogabat 'quid censes' (explicavit H. Jordan, Vindiciae sermonis latini antiquissimi, ind. lect. Regimonti 1882, 8 sqq.).

damnum facere. Lex Aquilia, Ulp. Dig. 9, 2, 27, 5 Ceterarum rerum [praeter hominem et pecudem occisos] si quis alteri damnum faxit (praeter eqs. secl. Pernice quasi insiticia).

fanum facere Hemina hist. 11 (Diom. gramm. I 384) sus parit porcos triginta, cuius rei fanum fecerunt laribus Grundilibus (cui rei edd. interpolatae).

legare Lex XII tab. V 3 uti legassit suae rei, ita ius esto (sic Gaius inst. 2, 224. Inst. Just. 2, 22 pr. Pompon. dig. 50, 16, 120. uti legassit quisque de sua re, i. i. e. Novell. Just. 22, 2 pr. pater familias uti super familia pecuniaque (Rhet. Her.-ve) sua legassit (legaverit Rhet. Her.), ita ius esto Cic. inv. 2, 148. Rhet. Her. 1, 13, 23. uti legassit super pecunia tutelave suae rei, i. i. e. Ulp. reg. 11, 14, quam lectionem recepit Bruns)[1].

Lectionem brevissimam recepi, quia duodecim tabularum sermoni convenit[2]), porro iure dubitaveris, num in eodem enuntiato et de re et de tutela fuerit cautum[3]). Si

---

1) Benigne me docuit de singulorum testium auctoritate F. Litten, iuris professor Regimontanus, cui gratias ago quam maximas, haec fere: gravissimos testes esse Gaium et Pomponium, minore fide dignum Ulpianum, denique haud ita fidos in legum verbis afferendis Ciceronem et auctorem ad Herennium, quamquam aetate ceteris antecellant.

2) cf. Lenel, Enzykl. der Rechtswiss. ed. Kohler, Berlin 1915, 328.

3) cf. H. E. Dirksen, Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik u. Herstellung des Textes der Zwölf-Tafel-Fragmente, Leipzig 1824, 339. contradixit Bruns, Fontes iuris rom. ant. ([7]ed. Gradenwitz, Tüb. 1909) 23.

lectionem his argumentis probatum genuinam esse sumimus, illud 'de sua re' (Novell.) pro glossemate genetivi rei habendum est.

verba credendi

credere Amph. 672 numquam edepol tu mihi divini creduis post hunc diem (divini Bothe: divini quicquam codd.) Asin. 458 sq. nam si sciat noster senex fidem non esse huic habitam, / suscenseat, quoi omnium rerum ipsus semper credit. Bacch. 504 nam mihi divini numquam quisquam creduat. Truc. 306 sq. numquam edepol mihi / quisquam homo mortalis posthac duarum[1]) rerum creduit.

accredere. Asin. 854 neque divini neque mi humani posthac quicquam accreduas. Poen. 466 quid ei divini aut humani aequomst credere?

His duobus locis vocibus 'quicquam' et 'quid' additis fit genetivus partitivus, quam opinionem, etiam Lindsayo[2]) probatam Blomqvist[3]) reicit his verbis 'quicquam abundat vel additum est, quo gravior fieret negatio, qui solitus mos est Plauti (cfr. supra [ibid. p. 40] nihil quicquam). Genetivum ad verbum referendum esse cum ex eis exemplis apparet, in quibus genetivus 'rerum' huic verbo subiungitur, tum satis probatur hoc exemplo: Bacch. 504.' Romani vocem 'humani' insequente 'quicquam' pro genetivo partitivo habuerint necne, equidem vix diiudicari posse puto; fieri sane poterat, ut pronomen illud initio libere enuntiato insertum postea perverse interpretarentur sensumque in partitivum qui vocatur detorquerent.

fidem habere Persa 785 quia ei fidem non habui argenti.

---

1) dinarum' Leo Rh. Mus. 38, 1883, 2 sq. res deina, rei dinai Lex Spoletina CIL XI, 4766 cf. Buecheler Rh. Mus. 35, 1880, 628 sq. Epid. 316 (fidicinam) (quae) dum rem dinam faceret, cantaret sibi (quae add. Buech. dinam B[1]; divinam rell.)

2) Syntax of Plautus, Oxford 1907, 12: the Plautine Gen. with 'credo' is called in some Grammars a 'Gen. of Respect', in others a 'Partitive Gen.' . . . We find it also with 'fidem habeo' in Pers. 785 . . ., which favours the title 'Gen. of Respect', but the occasional addition of 'quicquam, quid' associates it with the 'Partitive Gen.'

3) De genetivi apud Plautum usu, diss. Helsingfors 1892, 98.

reliqua verba et adiectiva cum genetivo rei composita.

fallere. Epid. 239 sq. nec satis exaudibam nec sermonis fallebar tamen, / quae loquerentur.

tangere Turpil. com. 131 (Non. 408, 37) erum si forte, quasi alias, vini tago (quasi alias res codd., res ut glossema secl. Ribbeck, qui coni. galeola, qua amphora Buecheler tago Cuiacius ex lemm: cavo codd. vini cado / ⟨tangam⟩ Lindsay AmJPhil. 22, 38; quasi alias res ⟨egerim, / inter promendum tetigero⟩ vini cado Leo anal. Plaut. II 8); tangere i. e. emungere, alias c. abl. coniungitur sicut fallere circumducere defraudare, e. g. Epid. 705. Poen. 1286. Turpil. com. 36.

desipere. Epid. 138 desipiebam mentis, cum illa scripta mittebam tibi.

perdere. Asin. 132 capitis te perdam ego et filiam. Bacch. 489 sq. egone ut illam mulierem / capitis non perdam? Mil. 371 quem pol ego capitis perdam.

indigere. Cist. 29 sqq. nostra copia nil volunt nos potesse / suique omnium rerum nos indigere, ad quem locum Blomqvist (l. l. 99) adnotat haec 'est enim 'omnium rerum' idem fere atque 'in omnibus rebus''.

pudet. Enn. scen. 59 sq. patris mei meum factum pudet, / optumi viri 'ich schäme mich vor meinem Vater wegen meiner Taten'.

---

mendax. Asin. 855 si huius rei me mendacem inveneris.

falsilocus. Capt. 264 quarum rerum te falsilocum mi esse nolo (cf. Brix ad locum).

socors. Ad. 695 nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo.

sanus. Trin. 454 satin tu es sanus mentis aut animi tui?

aeger. Laev. carm. frg. 12 (Prisc. gramm. II 281) seque in alta maria praecipem impos aegra sanitatis herois (seseque Scaliger, 'misit' idem post 'praecipem', 'animi' ante 'impos' Baehrens). consilii aeger Sall. hist. 4, 84 (Arus. gramm. VII 453) c. abl. Enn. scen. 254 Medea animo aegra amore saevo saucia (var. aegro, imitatus est Gelli amicus (19, 11, 4 v. 5)+ anima aegra et saucia, 'amore' pro 'et' Camerarius) c prp. ab Epid 129. a morbo valui, ab animo aeger fui.

integer. Enn. scen. 414 deos aevi integros.

primus. Enn. 248 est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt.

princeps. Ad. 259 (arbitror) fratrem homini nemini esse primarium artium magis principem (Dziatzko-Kauer ad v. 'dass kein Mensch hervorragender ist in den feinsten Listen').

liber. Amph. 105 quam liber harum rerum multarum siet ('quam multa eiusmodi licenter agat' Gronovius).

infrequens. Rhet. Her. 4, 27, 37 te tribuni rei militaris infrequentem tradiderunt.

argutus. Pseud. 746 ecquid argutust? # malorum facinorum saepissime (de lusu verborum cf. supra s. v. arguo). c. prp. de Merc. 629 de istac re argutus es.

coctus. Poen. 586 hodie iuris coctiores non sunt qui lites creant (coctiores AP, doctiores ς; iocum explicavit Turnebus adv. 15, 7 tom. II Parisiis 1580, 81 'ridiculum dictu iuris coctiorem pro iuris doctiorem dicere, quod urbanitate comica conditum protulit, ambigui occasione usus. nam et ius culinarium coquitur, et coctus ac recoctus dicitur, qui in re aliqua tyro non est').

prudens et attentus. Cic. Quinct. 11 sane ceterarum rerum pater familias et prudens et attentus.

Haec duo exempla prope accedunt ad similitudinem adiectivorum memor, conscius, peritus sim; quorum in numero maxime memoratu dignum est adiectivum imprudens, nempe voci prudens contrarium (Eun. 136 imprudens harum rerum).

repandus. Lucil. 212 lascivire pecus nasi rostrique repandum (Non. 159,2 nisi nostrique emend. Venator et Crinitus, qui intellexerunt de delphinis agi tangique Pacuv. trag. 408 Nerei repandirostrum incurvicervicum pecus. cf. Marx ad v.).

Hucusque exemplis propositis penitus de origine ac natura genetivi rei quaerendum est. Quam quaestionem ita tractare mihi est in animo, ut quomodo viri docti variis temporibus de eis quae congessi exemplis iudicaverint paucis exponam. Diutissime pervulgata erat opinio linguam graecam multum contulisse ad quasdam structuras genetivi latini formandas. Ab ista sententia stabant et Draeger et Kühner; uterque enim compendio a. 1878 edito caput de 'genetivo

graeco' inseruit[1]), quo nomine has fere voces complectitur in prisca latinitate cum genetivo coniunctas: cupere, studere, levare, desipere, fallere, credere, vereri. Sed iidem viri docti iam intellexerunt haud ita bene reperiri posse exempla graeca, quibus haec ipsa verba de quibus agimus explicentur. Quamquam 'sermonis fallere' respondere statuunt locutioni graecae *σφάλλεσθαι τοῦ λόγου*[2]), tamen dissentiunt de verbis 'desipere mentis' et 'credere omnium rerum'. 'Desipere mentis, quocum Kühner *ἐσφαλλόμην δόξης* confert, exemplo vocis 'animi' effectum esse censet Draeger[3]); idem 'credere' c. gen. coniunctum ponit inter genetivos relationis in ipsa lingua graeca rarissime usurpatos, Kühner autem 'credere' ad analogiam verbi 'falli', quippe cui sit contrarium, cum genetivo componi contendit, etsi concedit nihil esse in lingua graeca quod tali structurae respondeat.

Aliam igitur viam ingressi Schmalz[4]) et Stegmann[5]) hunc genetivum rarum ex analogia locutionum latinarum ortum itaque genuine latinum esse

1) Draeger, Hist. Synt.[2] 1, 492; Kühner, Ausf. lat. Gram. II 1, 346.

2) cf. Kühner-Gerth, Ausf. gr. Gram. II 1[2] 396, 399.

3) Item Schmalz, Lat. Synt. u. Stil.[4] 369 sq.

4) ibid.: 'Viele Verba, welche sich mit einem Genetiv verbinden, namentlich in der Vulgärsprache und bei Dichtern, sind durch die Macht der Analogie zu dieser Konstruktion gelangt. In allen diesen Konstruktionen hat man demnach echt lateinische Wendungen zu erkennen, deren Entstehung sich psychologisch sehr leicht erklären lässt.'

5) Kühner-Stegmann, Ausf. lat. Gram.[2] 473, § 87 'Sogenannter griechischer Genetiv'. Für die hierhergehörigen Beispiele aus dem Altlatein ist eine solche Annahme im allgemeinen wenig wahrscheinlich, vielmehr hat hier die Analogie verwandter lateinischer Wendungen gewirkt, was bei den vielfach noch schwankenden Konstruktionen der älteren Sprache leicht möglich war.

docent; quod equidem quadrare libenter concederem, nisi essent multa quae huic explicationi contraria mihi viderentur. Nam 'vim analogiae', quam Schmalz tales structuras tantopere a reliquis alienas effecisse putat, eo solo loco efficacem esse mihi persuasum est, quo exempla quaedam singularia ab usu satis magno latoque tamquam ingurgitantur et ad illius modum flectuntur vel quo verbum sensu cognatum vim suam exercet in structura formanda (cf. infra interest magni ~ refert). Huiusmodi usum, quo istae constructiones motae sint, extare prorsus nego, excepta sane voce 'animi', quae ab isdem viris doctis perverse accepta multum contulit, ut vera natura et origo genetivi de quo agimus ignoraretur. Cum 'animi' seorsum tractaturus sim, hic afferam non nisi exemplum quo Schmalz utitur, non mirum esse 'laborum decipitur' (Hor.[1])), si 'laborum obliviscitur' contuleris. Fateor me magnopere dubitare, an non cogitaverint de verbo obliviscendi Romani, cum verbum decipiendi usurpabant. Neque praetereundum esse puto illud Stegmanni, analogia ideo multo facilius effectas esse has genetivi structuras, quia in prisca latinitate modo cum hoc modo cum illo casu adhiberi potuerit verbum quidpiam. Nempe poterat hoc fieri, at id moneo spectandum aliam verborum iuncturam aliud significare semperque aliquid interesse inter duas loquendi rationes neque quicquam fieri sine iusta causa etiam in linguarum historia. Accedit quod uterque vir doctus haud suo iure confundere videtur cum verbis credendi fallendi desipiendi verba verendi fastidiendi cupiendi, quippe quae saepe cum genetivo personae coniungantur.

1) carm. 2, 13, 38. 'laborem' Vollmer cum plerisque codd. cf. Thes. 5, 177, 61 sqq. (accus. graecus).

Quibus e rationibus id apparere mihi videtur, hunc genetivi usum prisco fundamento niti neque dubitandum esse, quin hoc fundamentum sit genetivus rei.

Nomen genetivi 'relationis' huic generi indidit Loch[1]), genetivi 'respectus' Blomqvist[2]), cum genetivo verbis iudicialibus apposito primus, quod quidem viderim, hunc usum coniunxit Leo[3]); qui cum graecismos e priscae latinitatis syntaxi expelleret, inter alias hac genetivi structura pro exemplo usus est; exemplorum in numerum reposuit locum ipsius coniectura sanatum Mil. 1274 ne tu eius mirere mulierem (ne tu melius codd.).

III. De genetivo gerundii et gerundivi finali.

Alia structura a grammaticis saepe variis explicationibus vexata a Loefstedtio[4]) genetivo rei asserta est, genetivum gerundii et gerundivi dico, qui in enuntiato libere positus causam vel finem significat. Cuius genetivi finalis exempla satis nota extant apud Tacitum; exempli gratia affero ann. 2, 59 Germanicus Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis. Omnia exempla, quae in prisci sermonis monumentis mihi occurrerunt, hoc loco censeo proponenda, antequam de singulis explicandis atque de usu genetivi gerundii et gerundivi finali in universum verba faciam.

Ad. 269 sq. O mi germane! ah, vereor coram in os te laudare amplius, / ne id adsentandi magis quam quo habeam gratum facere existumes.

Rhet. Her. 1, 16, 26 cum dicat Orestes se patris ulciscendi matrem occidisse (ulciscendi causa E).

1) De genetivi apud priscos scriptores Latinos usu, Progr. Bartenstein 1880, 26.

2) l. l. 97.

3) Plaut. Forsch., Berlin, [1]1895, 92 a 3; [2]1912, 103 a 3.

4) Genetivus causae im Latein, Eranos 9, 1909, 82 sqq.

2, 30, 48 quo in loco non incommodum erit uti ceterarum rerum conparatione, ut ostendamus alias res posse aut vetustate sedari aut consilio corrigi, huius rei aut leniendae aut corrigendae nullam rem adiumento futuram (adiumento del. Ernesti).

Exempla incerta: CIL I [1]542, [2]632, 4 sq. (= Dessau 3410, Buecheler carm. epigr. 248, Titulus qui dicitur Mummianus) visum animo suo perfecit tua pace rogans te / cogendei dissolvendei tu ut facilia faxseis. Lucil. 1294 sq. — — servandi numeri et versus faciendi, / nos Caeli Numeri numerum ut servemus modumque (Char. gramm. I 78: et — Numeri JDousa ex Coloniensi deperdito, om. N. modumque Dousa: in N perierunt, sed 'que' legit Charisii editor princeps).

Adelphorum versus in plerisque artis grammaticae compendiis velut antiquissimum exemplum huius rationis loquendi affertur; de qua cogitavit etiam Donatus: 'et utrum deest causa an absolute (ab ipsa lite codd., corr. Bentley) sic dicitur?'

De duobus locis quos e Rhet. Her. attuli, monuit Marx[1]). Quod genetivo 'patris ulciscendi' codices interpolati 'causa' additum exhibent non mirum est. Extremum illum locum, quo genetivus gerundivi finalis locutioni 'adiumento esse' est appositus, illustrare liceat Ciceronis illo ad Att. 12, 31, 2, magno etiam adiumento nobis Hermogenes potest esse in repraesentando.

Tituli Mummiani qui dicitur versus a Loefstedtio[2]) recte explicatos esse duco, quippe qui iudicet gerundii formas 'cogendei' et dissolvendei' obiecti loco pro infinitivis vel pro substantivis verbalibus esse positas[3]), tametsi Buecheler hanc

1) Incerti auctoris de ratione dicendi ad C. Herennium libri IV, Lipsiae 1894, Proleg. 169.

2) Eranos 8, 1908, 90 sq.

3) Veram sententiam iam Ritschl in medium protulit Opusc. 2, 638 adn. 'Mir scheint jetzt die einfachste Auskunft, zwar für facilia faxis die ganz unbedenkliche Auffassung als facultatem faxis festzuhalten, in dem Genetiv aber nicht einen

explicationem prorsus accipere nolit. Ascribit enim titulo (carm. epigr. 248) haec: 'cogendei si lapis praebuit reapse idemque dissolvendei, priscum sermonem dixerit quispiam non abhorruisse ab audacia Taciti qui loco infinitivi vel nominis verbalis gerundium genetivo casu posuerit aliquotiens. cuius artificii cum apud antiquiores vestigium nullum repperissem neque potuisse id provenire existimarem ante neotericos, olim ut mutarem cogentei dissolventei animus inclinavit. nunc cautior retineo ista cum facultate aequiperans facilia subaudiensve negotia'. Equidem Loefstedtio[1]) omnino assentiri non dubito, quia versum alio modo explicari non posse pro certo habeo; praeterea moneo multum abesse ut hic titulus omnes in partes sit cognitus atque perspectus. Nam num a Mummio consule Corintho deleta tropaei loco sit erectus iam Ritschl[2]) in dubitationem vocavit,

davon abhängigen Casus, sondern das frei dazu stehende Gerundium zu erkennen, das den Zweck bezeichnet, wie in dem Terenzischen ne id adsentandi magis'. Sed postea cum Bernaysio e 'tua(m) pace(m)' genetivos pendere statuit Rh. Mus. 14, 1859, 398 sq., quam explicationem refutavit Buecheler NJb 37, 1863, 776 sq.

1) Cui contradixit Stowasser Wiener Studien 32, 1910, 112 sq., qui lectorem ad titulum a se ipso emendatum (W. St. 25, 1903, 261) relegat, ubi legi vult: 'cogendei dissolvendei tu ut *φακέλια* fax seis', atque versum vernaculo sermone sic vertit: Er bittet dich, ihm Leuchte zu sein beim Sammeln und Verteilen der Beutestücke (Bündelchen). Labore huius sententiae refutandae liceat quaeso supersederi, sed valde miror, quod idem vir doctus Buechelerum per litteras hanc lectionem probasse praedicat loco initio laudato 113. cf. praeterea Loefstedt, Philolog. Komm. zur Peregrinatio Aetheriae, Uppsala 1911, 279. Cum Stowassero facit W. A. Baehrens, Beiträge zur lat. Syntax, Philologus Suppl. Bd. 12, 1912, 481; de gen. ger. agit 480—83.

2) Opusc. 4, 103.

quoniam a plerisque qui epigramma descripserunt 'Munius' traditum sit atque omne argumentum illius carminis sane congruat in privatum quoque hominem, mercatorem potissimum Reate negotii bene gerentem. Qui si Herculi Victori hoc monumentum exstruxit, non mirum est, quod sermo tituli tamquam scatet structuris insolitis omnisque fere linea testatur poetam qui admodum raro versibus faciendis operam dederit[1]).

Transeamus ad Lucili locum, quem Lucianus Mueller sic restituit (inc. 66) 'servandi Numeri numerum ut servemus modumque', reiecta sane lectione quam patrem e codice vetere Coloniensi exarasse testatur Janus Dousa. De his verbis, quae interpolata esse censebat, inter alia haec adnotavit[2]): 'ipsa verba prioris hexametri talia sunt, explicare ut nullo modo possis; nisi quis statuerit illa 'servandi numeri et versus faciendi' genetivum esse cui supplendum sit 'causa'; quae ellipsis est omnium rarissima.' Quibus verbis effectum esse videtur, ut Lindsay[3]) locum sic interpretatus sit: Lucilium hoc modo inter genetivum nominis 'Numerius' et genetivum vocis 'numerus' distinguere conatum esse, ut scribendum proponeret 'Numerii' et 'numeri'. itaque versum sic esse interpungendum: 'servandi numeri': — numerum ut servemus modumque, et vertendum 'for the purpose of keeping tune'. Ergo posteriore versus parte tamquam glossemate verba 'servandi numeri' explicari atque genetivo gerundivi finem exprimi censet, cuius usus exempla addit cum e Taciti scriptis tum e tabulis Iguvinis petita. Marx de versibus secundum Dousam

1) cf. Dessau ad tit. 3410 adn. 3.

2) C. Lucili sat. rell. ed. L. Mueller, Lipsiae 1872, 278.

3) The Latin language, Oxford 1894, 383 adn. 1. = Lindsay-Nohl, Die lat. Spr., Leipzig 1897, 440 adn. 1.

patrem restitutis haec[1]): 'ex verbis grammatici efficitur, poetam dixisse sese numeris et metri necessitate coactum genetivo casu posuisse nomen amici, quod neque nominativo neque alio casu praeter genetivum aut vocativum in versu potuerit poni. Poteram equidem illud facere in sermone pedestri: at nunc servandi numeri, et versus tales faciendi, nos Caeli Numeri numerum ut servemus modumque'. Accipit igitur verba 'servandi numeri et versus faciendi' pro nominativo plurali. Equidem quamquam hanc explicationem evertere nullo modo possum, tamen pauca verba faciam pro genetivo. Pronomine 'nos' eo adducimur, ut opinemur poetam suam pangendi versus rationem opponere rationi aliorum vel potius adversariorum. Se voces in -'ius' exeuntes hoc modo versui accommodare, ut solum genetivum usurpet, adversarios aliis artibus uti nempe 'ut servent numerum et faciant versum'. Id enim satis perspicuum respondere inter se et 'servandi numeri' et 'numerum ut servemus', et 'versus faciendi' et 'ut servemus modum'; itaque 'numeri' etiam priore loco pro singulari ducere malim, praesertim cum hoc loco teste Marxio primum in litteris latinis 'numerus' significet *μέτρον*, 'modus' *ῥυθμόν*. Qua cum explicatione id feliciter congruit, quod de coniectura quadam Dousae patris versui 362 ascripsit Marx: admodum religiose Dousa in commentario ad h. v. 'Putabat', inquit, 'Pater sensu commodiore legi posse: in versu faciendo. Sic Hor. sat. 1, 10, 70' — Sed quoniam fragmentum initio tam misere est mutilum, hunc locum in certorum numerum referre non possumus.

De huius genetivi finalis vi et natura diu atque saepissime concertasse homines arte grammatica eru-

1) Lucil. vol. II 409 sq.

ditos iam supra commemoravi; etenim iam inde a Prisciano (gramm. III 310) hunc usum ellipsi vocis 'causa' interpretati sunt[1]). Quo plura vero exempla vel apud Sallustium vel Livium aliosve auctores inveniebant, eo magis penitus in huius rationis loquendi originem inquisiverunt neque fugit eos de tali ellipsi nequaquam cogitari posse. Qua de causa nostrae aetatis grammatici hunc usum ad varia genetivi latini genera applicare studuerunt, quorum de opinionibus breviter mihi referre liceat.

Genetivum qualitatis esse hunc genetivum censuerunt Reisig-Haase-Landgraf, Vorles. adn. 586. 594. Jordan, Kritische Beiträge. Berlin 1879, 285. Schmalz, Lat. Synt. u. Stil. [4]445. Copiose hanc quaestionem examinavit E. Hoffmann[2]), qui statuit hunc genetivum esse appositionem praedicativam toti enuntiato additam atque eundem locum usurpare quem substantivum scilicet appositionis loco enuntiato ita assertum[3]), ut finem vel causam significet. Gerundivi enim genetivos in substantiva illo modo apposita mutari posse[4]), ac contra appositionem nominalem in genetivum gerundivi, si verbum sensui aptum adhibeatur[5]). Genetivum praedicative positum facile explicari illis genetivis, qui in prisca latinitate vel

1) De similibus explicandi modis adeas Reisig-Haase-Landgraf, Vorles. adn. 586.

2) Der angeblich elliptische Gebrauch des genetivus gerundii und gerundivi, NJb 109, 1874, 545 sqq. = Studien auf dem Gebiete der lat. Syntax, Wien 1884, 101 sqq.

3) e. g. affert Tac. hist. 4, 19 duplex stipendium .... postulabant, non ut adsequerentur, sed causam seditioni.

4) Velut hist. 4, 25 e seditiosis unum vinciri iubet, magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret ∽ e sed. un. vinc. iub., magis usurpationem iuris, quam q. u. c. f.

5) Velut loco in adn. 1 laudato: non ut ads., sed movendae seditionis.

apud Ciceronem inveniantur, i. e. genetivis 'lucri, compendi facere, praemi, dotis dare' sim. Hos genetivos notionem, nomen, titulum significare, cui subdatur obiectum per actionem verbo expressam. Eodem modo genetivos gerundii vel gerundivi significare notionem qua actio obiectum afficiat; itaque, quoniam gerundivum sit part. fut. pass., effici notionem finalem.

De his explicandi modis hoc solum moneo, genetivum qualitatis admodum raro obvium esse in prisca latinitate idemque cadere in genetivos 'compendi facere' sim., deinde rationem esse artificiosiorem quam quae probet genetivum finalem ortum esse exemplo illarum locutionum.

Zernial[1]) e substantivo, quod unicuique verbo inesse dicit, genetivum pendere putat; exempli causa affert locum Taciti supra commemoratum, quem sic interpretatur 'profectionem antiquitatis cognoscendae facit'[2]). Quem secuti sunt et Weisweiler[3]) et Sedlmayer[4]). E genetivo possessivo genetivi finalis originem ducit Wölfflin[5]). Initio gerundivi genetivum soli verbo substantivo, deinde verbo 'videri' appositum, denique ad quaelibet verba translatum esse. Tac. hist. 4, 25 'vinciri iubet magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret' sic explicat 'magis usurpandi iuris ὄν, quod magis usurpandi iuris erat', vel illud annalium 'quod (sc. proficisci) cognoscendae antiquitatis erat'.

---

1) Selecta quaedam capita ex genetivi usu Taciteo, Diss. Gottingae 1864, 65 sqq.

2) ibid. 73.

3) Der finale genetivus gerundii. Ein Beitrag zur lat. Kasuslehre. Progr. d. Kaiser-Wilhelms-Gymn. Köln 1890, 17.

4) Kritisches und Exegetisches zu Horaz und Tacitus. Eranos Vindobonensis, Wien 1893, 111 sq.

5) Philologus 25, 1867, 113 sq. similiter Stowasser WSt. 32, 1910, 113.

Neque silentio praetereundum esse censeo fieri non potuisse quin hic ipse genetivi usus explicationem e Graecorum lingua ductam pateretur. Iam Priscianus confert *τὰς αἰτίας προέγραψα πρῶτον τοῦ μή τινα ζητῆσαι* (Thuc. 1, 23, 5) cum enuntiatis 'populi servandi laborat, reipublicae defendendae periclitatur' et hic 'causa' illic *ἕνεκα* suppleri vult. Draeger[1]) apertis verbis graecismum statuens imprimis versu Terentiano nititur, quem ad fidem exempli attici expressum esse iudicat. Qua sententia recepta Brenous[2]) genetivum gerundivi finalem graecismis inseruit.

Qui explicandi conatus ad unum omnes ex ea re laborant, quod sagaciores sunt quam veriores. Nam si tales explicationes ex usitatis genetivi latini generibus ductae revera quadrent, summo quidem iure miremur, quod tam exigua exempla huius usus extant. De graecismis refutandis iam supra verba feci.

Non mihi dubium est, quin in praesens quoque de genetivis finalibus plane explicandis desperare cogeremur, nisi dextro ut aiunt Hercule inde adiuvaremur unde saepe auxilium latum est arti grammaticae latinae, priscas dico dialectos Italicas. Namque legimus in tabulis Iguvinis[3]):

---

1) Hist. Synt. ^{2}2, 834; Über Syntax und Stil des Tacitus, Lpz. ^{3}1882, 81 sq.

2) l. l. 116 sq.

3) Animadvertas haec exempla in titulis sacris extare, quorum sermoni hanc structuram imprimis fuisse commodam iam inde colligere licet quod saepe legitur in actis fratrum Arvalium (cf. Guil. Konjetzny, De idiotismis syntacticis in titulis latinis urbanis (CIL vol. VI) conspicuis, Arch. f. lat. Lex. 15, 1908, 297 sqq.; de hoc usu agitur 346 sq.). in formulis et sacri et publici sermonis usum servari monuit iam Ed. Wolff, Die Sprache des Tacitus, Progr. d. Wöhlerschule, Frankfurt a. M. 1879, 17.

VI A 18 sq. esisco esoneir seveir / popler anferener et ocrer pihaner perca arsmatia habitu (ad haec sacra omnia populi lustrandi et arcis piandae virgam ritualem habeto).

VI A 8. verfale pufe arsfertur trebeit ocrer peihaner, erse stahmito eso tuderato est (templum ubi flamen versatur arcis piandae, id statutum sic finitum est).

VI B 48. sururo stiplatu pusi ocrer pihaner (itidem stipulator ut arcis piandae).

Quos locos Buecheler[1]) (ad VI B 48) his verbis illustravit: 'duo hi genetivi [ocrer pihaner] ubi eodem modo compositi leguntur, aut nomina quae eos regant adsunt verfale et esoneir aut praepositio paca [i. q. 'causa', VI A 20]. hoc loco [VI B 48] adstrictior est verborum comprehensio repetundumque ex superioribus ad quod genetivos aptemus nomen avium vel auspiciorum. similis brevitas in gerundivis latinis valet casu eodem, Sallustius dixit [hist. 1, 77, 11 M] arma cepit libertatis subvertendae'. Planta[2]) genetivum partim e nomine substantivo (VI A 19), partim e verbo (VI A 8. B 48) pendere iudicat atque eius originem ducit e genetivo qualitatis adnominali et praedicativo, sed genuine Italico. Suo autem iure Leo[3]) hanc quoque controversiam diremit cum scriberet e loco VI B 48 apparere genetivum nequaquam e nominibus pendere idemque cadere in reliquos locos, atque structuram illam sane genuinam Italicam principali notione genetivi quasi imo fundamento niti.

Quamquam Leo vir ille doctissimus huius genetivi naturam genuinam esse exemplis Umbricis planum fecit atque comprobavit, tamen quid de illius genetivi genere arbitraretur non adiecit[4]). De quonam autem

1) Umbrica, Bonnae 1883, 86.

2) l. l. 437.

3) Plaut. Forsch. ²103 a. 3.

4) Item J. Vendryes, Sur l'emploi de l'infinitif au génitif dans quelques langues indo-européennes, Mém. de la soc. de ling. 16, 1910/11, 247 sq. (de usu latino egit 255 sq.).

genetivi genere cogitemus? Mihi quidem non dubium esse, quin genetivo rei sit asserendus hic usus, ex ordine exemplorum satis iam elucere opinor. At dicat quispiam multum interesse inter exempla qualia 'rerum credere' etc. et genetivum gerundivi finalem. Concedo sane ea re inter se differre has loquendi rationes, quod hic genetivus gerundivi sententiae libere appositus est illic certis tantum ratisque verborum generibus. Quem hiatum expleri vel tolli non posse iudico nisi exemplis quae collegisse illustrasse cum totius genetivi rei usu coniunxisse Loefstedtio[1]) summo honori est tribuendum. Haec tria afferam hoc loco, etsi fere progredior ultra terminum quem statui.

Rhet. Her. 4, 38, 50 utrum igitur avaritiae an egestatis accessit ad maleficium? Avaritiae? At largissimus fuit in amicos; quod signum liberalitatis est, quae contraria est avaritiae. Egestatis? Huic quidem pater — nolo nimium dicere — non tenuissimum patrimonium reliquit (avaritiae ãegestatis P, causa add. P², avaritiae aegestatis H, avaritiae gestatis B avaritiae egestas *Π* avariae aut aegestatis causa C causa avaritiae aut egestatis E).

Varro rust. 3, 16, 32 quod ad pastiones pertinere sum ratus, quoniam dixi, nunc iam, quoius adhibetur ea cura, de fructu dicam (quoius adhibetur V A, quo ius adibetur B).

Caes. b. g. 5, 8, 6 cum magnae manus eo convenissent, multitudine navium perterritae, quae cum annotinis privatisque, quas sui quisque commodi fecerat, amplius DCCC uno erant visae tempore, a litore discesserant (quisque commodi causa ed. pr., quisque commodi *α*, commodi quisque causa *β*).

Ad singula exempla adnoto haec: In enuntiato e Rhet. Her. petito iam librarii vocem 'causa', quam deesse putarent, alius alio loco adiecerunt. Editores simili modo loco mederi studuerunt, Kayser enim

ibid. 260 mais on voit aussi qu'en dernière analyse c'est dans la valeur du génitif qu'il faut en chercher l'origine.

1) Genetivus causae im Latein, Eranos 9, 1909, 82 sqq.

coniecit 'utra igitur causa, avaritiae an egestatis', CFW Müller 'avaritiae causa an egestatis'. Contra Marx e codicum discrepantia archetypi lectionem optimo iure restituit; sed quod post 'egestatis' lacunam indicavit atque adscripsit 'deest veluti plenus, incontinens' haud plane quadrare ad hunc locum vidit Loefstedt, cui in omnes partes adsentior. Nihil repugnare censet quominus accipiamus 'plenus, incontinens avaritiae' sed nequaquam illos adiectivos convenire voci 'egestatis'[1]). Ad utrumque autem substantivum, et ad 'avaritiae' scilicet subiective et ad 'egestatis' scilicet obiective positum quadrare notionem mere causalem eamque iam inesse genitivo. Id moneo totam sententiam exempli loco afferri ab auctore illo ignoto, qui libros ad Herennium conscripsit; illis enim exemplis et archaici et popularis sermonis reliquias contineri ostendit Marx[2]), ita ut nobis mirum esse non possit, quod talem inusitatam structuram in illo libro invenimus.

Varronis rerum rusticarum locum iam Iucundus emendare conatus est coniciens 'cuius causa adhibetur'. Quam coniecturam Keil[3]) etsi in verborum contextum non recepit, tamen in commentario ad l. probavit. Loefstedt genetivum rei statuit quem vertit 'mit Rücksicht worauf, wegen dessen' atque apte compárat similem locum graecum a Nachmansonio[4]) adlatum Lucian. Philops. 30 R *ἐθέλω εἰδέναι τίνος ἀγαθοῦ τοῦτο ποιοῦσιν.* Et ad hunc et ad Caesaris locum conferatur Hemina hist. 11 sus parit porcos triginta, cuius rei fanum fecerunt laribus Grundilibus (supra 16).

1) incontinens c. gen. legitur his locis: Sen. dial. 2, 14, 1 animal . . . ferum, cupiditatium incontinens. n. q. 3, 30, 6 nihil est . . . tam incontinens sui . . . quam magna vis undae. Tertull. ieiun. 16 init. ille certe Deus, cui nec populus incontinens gulae placuit nec sacerdos.

2) NJb 23, 1909, 434 sqq.

3) ed. mai. Lips. 1884, contra in ed. min. inseruit 'causa'.

4) Eranos 9, 1909, 42.

Caesaris illud 'naves quas sui quisque commodi fecerat' varie interpretati sunt viri docti. Nam ut taceam de alterius librorum classis lectione a nonnullis editoribus recepta, etiam vera illius genetivi natura sero admodum cognita est. Kraner[1]) hoc docet 'quas sui commodi (naves) fecerat: als zu seiner Bequemlichkeit gehörige Schiffe'. Quam explicationem nimia arte excogitatam esse neminem fallere opinor, nos autem facillime sensui enuntiati satisfacere possumus, si genetivum ipsum causam vel finem significare statuimus[2]).

Omnibus igitur locis quos Loefstedt composuit genetivo inest notio illa quam Brugmann voce 'Sachbetreff' significavit. Ac quaerentibus nobis de origine huius genetivi ex sententia obvenit, quod Nachmanson[3]) prorsus eundem usum in lingua graeca valuisse exemplis atque argumentis valde confirmavit.[4]) E numero exemplorum quae congessit unum afferam Demosthenicum 18, 100 *μυρία τοίνυν ἕτερ' εἰπεῖν ἔχων παραλείπω, ναυμαχίας, ἐξόδους . . ἃς ἁπάσας ἡ πόλις τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας πεποίηται* (*Ἑλλήνων* SL¹: *Ἑλλήνων ἕνεκ'* A: *ἕνεχ' Ἑλλήνων* L² F vulg.) et legentium animos convertam

1) Caes. b. g. erkl. v. Kraner-Dittenberger⁸, Berl. 1872. simili modo locum interpretatur Kühner, Ausf. lat. Gram. II 1 (Hannover 1878) 312 'Schiffe seiner Bequemlichkeit d. h. zu seiner Bequemlichkeit'.

2) Aliquantum etiam accedit locutio ad 'compendi, lucri facere', sed ne similiter eam accipiamus impedit possessivum 'sui'.

3) Syntaktische Inschriftenstudien, Eranos 9, 1909, 31 sqq.

4) Plura exempla attulit O. Weinreich Journal international d'Archéologie Numismatique 14, 1912, 191 sq.; Philologus 72, 1913, 546.

imprimis ad infinitivum cum genetivo articuli sensu finali vel causali usurpatum[1]), quippe qui manifesto respondeat illi gerundivi genetivo de quo supra egimus.

Sed cur hic usus tam rarus fuerit in prisca latinitate, imprimis cur apud Plautum desit, nobis est considerandum. Id moneo ad illam structuram facile addi potuisse 'causa' et 'gratia' quasi adminicula principalis vis genetivi[2]), deinde in primo et quinto ordine declinationis genetivum cum dativo congruere, ita ut saepe de casu ignoremus, e. g. Rud. 1374 ius iurandum rei servandae, non perdendae conditum est[3]). Denique usum genuine italicum, quippe qui in aliis quoque dialectis indogermanicis inveniatur[4]), aut tamquam hereditate ab antiquissimo linguae statu acceptum aut ab illis linguis principali vi genetivi libere usis fictum iudicare debemus; id quod equidem probem, quoniam dialecti forma gerundii et gerundivi differunt. Itaque nititur, quod quidem viderimus, hic usus quasi imo fundamento principali genetivi sensu, quem Brugmann[5]) sic in universum circumscribit: 'Der Genitiv bezeichnet den Nominalbegriff als eine Sphäre, als einen Bereich, zu welchem die durch das Verbum ausgedrückte Tätigkeit oder ein durch ein Nomen ausgedrückter Gegenstand in irgend einer Weise in Beziehung steht oder tritt'. Ad hanc definitionem optime quadrant ea quae idem vir doctus docet de genetivo rei: 'Etwas mit Rücksicht

1) cf. Nachmanson 41 adn. 1: Thuc. Plato. Dem. Xen.; Menand. Epitr. 307. 310. Pericir. 56. Blass-Debrunner, Gram. d. neutestamentlichen Griechisch^{4} Göttingen 1913, 231. Brugmann-Thumb, Gr. Gram.^{4} 448. non recte Kühner-Gerth, Ausf. gr. Gram.^{3} II 2 (Hannover 1904) 40 sq.

2) cf. U. de Wilamowitz ad Eur. Herc. 1114.

3) Pro genetivo habet Vendryes l. l. 255.

4) cf. Brugmann, Grdr. d. vgl. Gram. II 2^{2} 576 sqq.

5) Gr. Gram.^{4} 441.

worauf man eine Veranstaltung oder Bestimmung trifft, ein Urteil fällt, einen Handel schliesst u. dgl., ist als ein Bereich vorgestellt, der die Handlung betrifft, so dass man mit 'in betreff, bezüglich, wegen, um, über' u. dgl. übersetzen kann'. Ex omnibus igitur exemplis a me allatis atque e rationibus quibus singula exempla illustrare ac plana reddere studui id unum esse appariturum confido, genetivum rei dignum esse qui etiam in compendiis artis grammaticae proprio capite tractetur, quoniam prisci sermonis proprius sit maximeque conveniat eximiae linguae latinae gravitati.

IV. De voce 'animi' pro genetivo rei habenda.

discruciari. Aul. 105 discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi. Ad. 610a discrucior animi. excruciare. Epid. 388 sq. vel ego, qui dudum fili caussa coeperam / ego med excruciare animi. Mil. 719 continuo excruciarer animi. 1068 quid illam miseram animi excrucias? 1280 ne illam animi excrucies. Rud. 388 hoc sese excruciat animi. 399 ne sic se excruciet animi. Phorm. 187 Antipho me excruciat animi. angere. Epid. 326 absurde facis qui angas te animi. pendere. Merc. 128 ego animi pendeo. 166 nimis diu animi pendeo. Haut. 727 Clitipho quom in spe pendebit animi. horrescere. Pacuv. trag. 294 (Non. 22, 16) sed nescio quidnamst animi horrescit, [et] gliscit gaudium (animus mi Onions, s. nescio / quid nam est animi: et cor horrescit et congliscit gaudium S[kutsch] BphW 17, 1897, 847). devincere. Hec. 167 sq. hic animi partim uxoris misericordia / devinctus. praestans. Enn. frg. inc. 47 V. o praestans animi. lassus. Cist. 214 sq. ita me Amor lassum animi ludificat. sanus. Trin. 454 satin tu es sanus mentis aut animi tui? miser. Cist. 672 itaque petulantia mea me animi miseram habet. falsus. Eun. 274 ut falsus animist. incertus. Hec. 121 fecit animi ut incertus foret. exercitus. Afran. com. 318 qui misere est animi exercitus (me pro misere Non. 6, 9: corr. Fruterius).

Hoc loco per appendicem mihi agendum est de peculiari genetivi rei specie, quam nonnulli viri docti

enixe ab illo usu abiudicabant commoti sane ratione ab iis quae nobis adhuc occurrerunt rationibus plane diversa, quare adductus sum ut seorsum excuterem hanc quaestionem. Nam de natura atque origine vocis 'animi' quam legimus in iuncturis supra allatis, pro genetivone sit accipienda an pro locativo, diu in utramque partem disputabatur et ut ait Horatius adhuc sub iudice lis est. Superioris enim aetatis grammatici de genetivo non dubitabant, quem varie interpretabantur[1]), dissensit Delbrück[2]), qui a. 1867 opinionem in medium protulit 'animi' esse sumendum pro locativo, quia locutio 'animi' pendere' numero plurali non esset 'animorum pendere' sed semper 'animis pendere'. Quam sententiam suam fecerunt permulti viri docti, velut Kühner[3]) Ebrard[4]) Keller[5]) Bell[6]) Ziemer[7]) Funaioli[8]) Schmalz[9]) Stegmann[10]), sed ne unus quidem eorum attulit novum quoddam argumentum vel aliquam rationem, quibus fulciret illam

1) Gronov, Lectiones Plautinae, Amstelaedami 1740 136 'animi miser' [Cist. 672] sic explicat: 'Graecanica ellipsi τοῦ ἕνεκα, id est causa vel gratia, ut amant dicere Latini. Reisig, Vorles. § 351 sq. 'animi' recte cum genetivo adiectivis relativis quae vocantur apposito coniungit.

2) Ablativ Localis Instrumentalis im Altindischen, Lateinischen und Deutschen. Ein Beitrag zur vgl. Syntax der idg. Sprachen. Berlin 1867, 31.

3) Ausf. lat. Gram. II 1, 355 (c. verbis), 322 (c. adi.).

4) De ablativi, locativi, instrumentalis apud priscos scriptores Latinos usu, NJb Suppl. Bd. 10, 1878, 601 adn. 50.

5) NJb 135, 1887, 488 = Grammatische Aufsätze, Lpz. 1895, 339. 359 sq.

6) De locativi in prisca Latinitate vi et usu, Diss. Vratislaviae 1889, 58 sqq.

7) rec. Bell, WfklPh 7, 1890, 1342.

8) Der Lokativ und seine Auflösung. Arch. f. lat. Lex. 13, 1904, 312.

9) BphW 27, 1907, 1292. Synt. u. Stil. [4] 367 a. 2.

10) Kühner-Stegmann, Ausf. lat. Gram. II 1[2] 486.

rem atque comprobaret. Exemplis autem vocis 'mentis' similiter usurpatae (cf. desipere supra 18), quippe quae tali explicationi repugnent, nihil dicunt aliud effici nisi Romanos ipsos iam eo tempore cuius monumenta sermonis cognita habeamus 'animi' perverse pro genetivo intellexisse[1]). Itaque 'mentis' falsa analogia effectum esse ducunt neque quicquam morantur totum genetivi rei usum.

Diversam rationem inierunt Wagener[2]) et Kern[3]), qui 'animi' verbis appositum locativum — vel adverbium locale, ut Wagener admodum caute scribit 'puto veteres vocabulo animi adverbialiter esse usos' — adiectivis autem appositum genetivum esse censent. Quibus astipulari non possum, quia exempla ipsa unam eandemque explicationem requirere mihi videntur.

Nullo igitur pacto facere possum quin iis assentiar qui pro genetivo verba fecerunt. Sunt enim hi viri docti: Riemann[4]) Loch[5]) Schönfeld[6]) Golling[7]), qui ceteris subtilius in hanc rem inquisivit,

1) Quod etiam artius coercet Funaioli his verbis: Der Vers 398 der consolatio ad Liviam [tu quibus auditis anxia mentis eras, quem attulit Riemann] beweist freilich nicht, dass 'les Latins' in animi einen Genetiv sahen, sondern nur, dass der betreffende Dichter so fühlte.

2) De locativi latini usu, Diss. Jenae 1870, 24 sq.

3) Zum Gebrauch des Ablativ bei Vergil, Progr. Schweinfurt 1881, 7.

4) Études sur la langue et la grammaire de Tite-Live, Paris 1879, 205 adn. 3.

5) De genetivi apud priscos scriptores Latinos usu, Progr. Bartenstein 1880, 26 sq.

6) De Taciti studiis Sallustianis, Diss. Lips. 1884, 37 sqq.

7) Über einen angeblichen Lokativ im Lateinischen Gymnasium 3, 1885, 543 sqq.

Landgraf[1]) Zieler[2]) Blomqvist[3]) Heckmann[4]) Lindsay[5]) Bennett[6]), quorum argumenta breviter referam.

Quod adversarii afferant numero plurali semper inveniri 'animis' in locutione 'pendere animis', contra dicendum esse non plus quam duo exempla illius structurae extare in litteris latinis eademque parum certa: Cic. Tusc. 1, 96 quod si expectando et desiderando pendemus animis (animi ex Ursini codice s: coniectura Bentleio et Madvigio probata). Liv. 7, 30, 22 quid illis nos, patres conscripti, sollicitis ac pendentibus animis renuntiare iubeatis? (animi Florebellus, Gronovius). Sed hos locos nil valere ad istam sententiam probandam. Quod non 'animorum' positum sit, non esse mirum, quia numerus pluralis raro usurpetur, ipsum enim accusativum limitationis illius vocis numero plurali positum extare hoc uno loco: Stat. Theb. 2, 170 di bene, quod tales stirpemque animosque venitis (contra sing. Verg. Aen. 1, 579. 4, 395. 5, 869. Tac. hist. 1, 85). Quandoque nullo argumento evinci possit 'animis' esse locativum plur., potius ablativum relationis sumendum esse, qui etiam numero singulari usurpetur[7]), velut Cic. carm. frg. 4 (de consul. Non. 204, 8) atque animo pendens + noctu eventa timebat (nocturna Junius)

1) Reisig-Haase-Landgraf, Vorles. 557 adn. 526.
2) Beiträge zur Geschichte des lateinischen Ablativus (Diss. Lpz.) Bonn 1892, 26 sq.
3) De gen. ap. Plautum usu, Helsingfors 1892, 97.
4) Über präpositionslose Ortsbezeichnung im Altlateinischen, Idg. Forsch. 18, 1905, 327 sq.
5) Syntax of Plautus, Oxf. 1907; 13, 23 adn. h.
6) Syntax of Early Latin II, Boston 1914, 100.
7) cf. Ebrard l. l. 602; Bennett, Syntax of early Latin II, Boston 1914, 365 sq.

atque similiter Brut. 7 angor animo. fam. 16, 14, 2 angi animo. Enn. ann. 204 sed ego hic animo lamentor. Lucil. 638 animo qui aegrotat. Mil. 1323 propterea animo eram ferocior (animum codd., animo Non. 305). Itaque e forma 'animis' nequaquam consequi, 'animi' primitus fuisse locativum. Deinde etiam eam ob causam locativum accipi non posse, quod omnes locativi quos servaverit sermo latinus non nisi a notionibus localibus vel temporalibus sint derivati[1]). Praeterea aliquid momenti habere quod cum certis tantum ratisque verbis atque adiectivis usurpetur 'animi', talibus autem locis, qualibus locativus ipse esset aptissimus, inveniatur 'in animo', velut[2]): Trin. 206 quod quisque in animo habet. Plaut. Col. frg. 2 aliter in animo habent. Haut. 385 et quom egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero. Ad. 817 sq. haec si voles / in animo vere cogitare. Cic. S. Rosc. 52, 58. Ergo cum sit nimis difficile 'animi' sumere pro locativo, nihil obstare quominus agnoscatur genetivus, ad quem optime quadret reliquus genetivi usus, imprimis exempla vocis 'mentis' eodem modo usurpatae atque ii loci, quibus 'animi' cum alio genetivo coniungatur Stat. Theb. 1, 605 armorum praestans animique. silv. 2, 3, 72 florens animi morumque. Mart. 12, 6, 7 macte animi . . . . morumque tuorum. Val. Max. 5, 6, 2 animi et generis nobilissimus (quos attulit Landgraf, sed locum antiquissimum neglexit Sall. hist. 3, 91 M. ingens ipse virium atque animi, cf. etiam Verg. Aen. 11, 416 sq. fortunatusque laborum / egregiusque animi). Sed conferenda esse etiam ea exempla, quae vocabulum 'animi' illis adiectivis

1) cf. Schmalz, Lat. Synt. u. Stil. ⁴ 392 sq.
2) Exemplorum aliquam partem ipse attuli.

additum praebeant quae cum genetivo soleant coniungi[1]).

Atque si 'animi' habeatur in locativorum numero, nihil prohibere quominus etiam vox 'consili' quae similiter usurpetur atque 'animi', locativus ducatur, sed eam haudquaquam convenire reliquo locativi usui, itaque hoc quoque argumentum genetivo favere.

Quibuscum rationibus feliciter congruere usum in prisco Germanorum sermone obvium, quippe qui eodem modo vocabulum 'muotes' sim. cum adiectivis atque verbis coniungant[2]).

Cum omnia argumenta supra allata complecteris, 'animi' revera e genetivo rei originem duxisse

1) animi incertus Hec. 121 ~ Rud. 213. Phorm. 578 (consili) ~ Enn. scen. 141 sq. (rerum). compos App. Claud. carm. frg. 1. Ter. Ad. 310 ~ Enn. scen. 143 (consili) ~ Amph. 642 (laudis). impos Bacch. 614. Cas. 629. Men. 110. Trin. 131. Truc. 828 ~ Acc. trag. 287 (consili).

2) cf. J. Grimm, Deutsche Gram. IV, Göttingen 1837, 663. 734. O. Erdmann, Untersuchungen über die Sprache Otfrids II, Halle 1876, 185: 'Muates' oft bei Verben der Geistestätigkeit oder des Affekts . . . . Auch bei einem Verbum anderer Bedeutung: 5, 23, 45 wachent muates filu frua 'sie sind im Geiste wachsam'; sowie bei prädicativen Adjectiven mit sîn: S. 48 wir iamêr frô sîn muates. 2, 7, 36 bistû muates lint, und selbst bei substantiviertem Adj. 2, 16, 5 thie muates mammunte (cf. ibid. 190). O. Erdmann, Grundzüge der deutschen Syntax II, ed. Mensing, Stuttgart 1898, 201 sqq. B. Delbrück, Synkretismus, ein Beitrag zur germanischen Kasuslehre, Strassburg 1907, 217: § 48. Der Gen. der Beziehung und Ursache. Ein solcher Gen. scheint sich zunächst bei Adjektivis entwickelt und von da aus auch auf Verba ausgedehnt zu haben . . . an ags. modes blide 'im Sinne froh' (gnädig) [schliesst sich] ahd. muates bliden. An die Wörter, welche 'betrübt' u. ähnl. bedeuten, schliesst sich ahd. sih muotes truoben; . . . wie bei den Adjektiven findet sich auch bei den Verben häufig ahd. 'muates', z. B. ni brutti thih muates erschrick nicht im Herzen (Otfr. 1, 5, 17). cf. Golling l. l. 549 sq.

intelleges. Sed utrum homines Latini formulae ritu adhibuerint hanc vocem an veram genitivi rei naturam cognoverint sermocinantes, pro certo affirmare non possumus. Istum errorem, 'animi' esse locativum, inde ortum esse puto, quod nostrates illam vocem vertunt 'im Herzen, im Sinne', sed meliorem veriloquii habemus rationem cum vertimus 'was das Herz, den Sinn angeht'.

Caput alterum.

De genetivo cum verbis quibusdam coniuncto.

I. De verbis reminiscendi et obliviscendi.

memini c. gen. Bacch. 206 ecquidnam meminit Mnesilochi? Capt. 800 faciam ut huius diei locique meique semper meminerit (hinc. Eun. 801). Persa 494 sq. faciam ut mei memineris, dum vitam / vivas. 658 satin ut meminit libertatis? Haut. 951 ut dum vivat meminerit semper mei. 1026 eius (sc. temporis) ut memineris. Eun. 801 faciam ut huius loci dieique meique semper memineris. 815 domi focique fac vicissim ut memineris. prisca formula magica: Varro rust. 1, 2, 27 cum homini pedes dolere coepissent, qui tui meminisset, ei mederi posse 'ego tui memini, medere meis pedibus, terra pestem teneto, salus hic maneto in meis pedibus'. c. acc. Aul. 542 meminerunt sese unde oriundi sient. Cas. 259 sq. mirum ecastor, te senecta aetate officium tuom / non meminisse. Cist. 148 meminisse ego hanc rem vos volo. 381 (frg. 9 = Non. 499) meminere officium suom. Men. 45 propterea illius nomen memini facilius. 619 quando haec rem non meminit suam. Merc. 1011 suam quisque homo rem meminit. Mil. 354 praecepta facito ut memineris. 1378 memini ego officium meum. Persa 186 ni omnia memini et scio. Poen. 45 bonum hercle factum pro se quisque ut meminerit. 1062 sq. ecquid meministi tuom parentum nomina, / patris atque matris? # memini (v. 1063 inde ab initio Agorastocli tribuit P, recte A). Stich. 42 moneo, ut tuom memineris officium. 46 nostrum officium meminisse decet. Trin. 697 is est honos homini pudico, meminisse officium suom.

Truc. 220 nos divitem istum meminimus atque iste pauperes nos. Haut. 626 meministin me gravidam et mihi te maxumo opere edicere / si puellam parerem, nolle tolli? Turpil. com. 155 sq iam desine / meminisse illius formam. Cato orig. 31 P (Ligures) vera minus meminere. Rhet. Her. 2, 18, 27 auditor . . . . distributionem percipere et meminisse poterit. 3, 16, 29 simulacra eius rei, quam meminisse volumus. 3, 17, 30 si volumus multa meminisse. 3, 20, 34 quotienscumque rem meminisse volemus. 3, 22, 35 quas res ante ora videmus aut audimus, obliviscimur plerumque, quae acciderunt in pueritia, meminimus optime saepe. 3, 22, 37 quas res veras facile meminerimus, easdem fictas et diligenter notatas meminisse non difficile est. 3, 23, 38 cum ex infinita verborum copia modo aliud modo aliud nos verbum meminisse oportebit. 3, 24, 39 ut versus meminisse possimus. Quadrig. hist. 74 qui prior bellum, quod cum his gestum erat, meminissent. c. acc. neutr. pron. Aul. 257 illud facito ut memineris. Capt. 249 sq. em istuc si potes / memoriter meminisse. 317 memini ego istuc. 396 quae memini, mora mera est monerier. 414 te meminisse id gratum est mihi. Curc. 493 et quidem meminisse ego haec volam te (Leo: et commeminisse codd.). Epid. 554 memini id quod memini. Men. 1111 quid longissime meministi? Merc. 282 ei, et hoc memento dicere. Mil. 809 sed quid meminisse id refert, ⟨rogo⟩. 1195 haec ut memineris. Persa 183 satin haec meministi et tenes? Poen. 767 mementote illud, advocati. # meminimus. Pseud. 940 memorem immemorem facit qui monet quod memor meminit. Rhet. Her. 3, 20, 33 si hoc primum . . . meminisse volemus. 3, 22, 35 id diu meminisse consuemus. Cic. Quinct. 36 si haec memineritis. c. prp. de Asin. 939 de palla memento.

commemini (cf. Thes. s. v.) c. gen. Trin. 1027 non fugitivust hic homo, commeminit domi. c. acc. Pseud. 696 commemini omnia. c. acc. neutr. pron. Amph. 254 hoc adeo hoc commemini magis, quia illo die inpransus fui. Mil. 914 quid istis nunc memoratis opust quae commeminere? Poen. 726 sq. em istaec volo ergo vos commeminisse omnia. 985 sq. ecquid commeministi Punice? / # nihil edepol. nam qui scire potui, dic mihi, / qui illim sexennis perierim Carthagine?

obliviscor c. gen. App. Claud. carm. frg. 2 (Prisc. gramm. II 384) amicum cum vides, obliscere miserias / commentus; si est inimicus, nec libens aeque (obliviscere, corr. Fleckeisen; idem 'fort. miseriai', sed etiam pro acc. pl. haberi potest). Eun. 306 ita prorsum oblitus sum mei. Ps. Ter. Andr. alt. exit. 2 operam dedi ne me esse oblitum dicas tuae gnatae alterae. c. acc. Liv. Andr. carm. frg. 4 neque enim te oblitus sum, Laertie noster. Bacch. 790 nil iam me oportet scire. oblitus sum omnia. Cas. 104 non sum oblitus officium meum. Trin. 1013 sq. satin in thermipolio / condalium es oblitus? 1017 sq. tribusne te poteris / memoriam esse oblitum? (memoria libri, corr. Seyffert, memoriae alii). Caecil. com. 61 equi homo ineptitudinis cumulatus cultum oblitus es? Turpil com. 171 sq. eho dic mihi, an oblita, obscero, es eius crebras mansiones / ad amicam, sumpti largitatem? Acc. trag. 12 mea facta in acie obliti. 190 utinam memet possim obliscier. 488 an ego Ulixem obliscar umquam aut quemquam praeponi velim? Rhet. Her. 3, 22, 35 itaque quas res ante ora videmus aut audimus, obliviscimur plerumque. Cic. S. Rosc. 49 et artificium obliviscatur et studium deponat licebit. passive Mil. 1359 muliebres mores discendi, obliscendi stratiotici. c. acc. pron. neutr. Asin. 226 haecine te esse oblitum. Poen. 40 quod paene oblitus fui. Truc. 233 is amatur hic apud nos, qui quod dedit id oblitust datum. Acc. trag. 665 an haec iam obliti sunt Phryges?

reminiscor c. acc. Hec. 385 quom orata huius reminiscor. Acc. trag. 346 cum haec recordor, cum illos reminiscor dies. (Acc. trag. 327 sq. deorum mortalis, Phoenix, ⟨esse⟩ liberos / reminiscor semper. esse om. Non. 500).

recordo. Quadrig. hist. 55 (Non. 475, 30) is ubi Decium cognovit et patriae eum recordavit (patria eum: corr. Iunius). recordor c. acc. Pacuv. trag. 36 cum recordor eius ferocem et torvam confidentiam. c. acc. neutr. pron. Men. 972 recordetur id. Acc. trag. 346 cf. s. v. reminiscor. c. prp. de Cic. inv. 1, 108 petimus, ut de suis liberis aut parentibus aut aliquo . . . recordentur.

venit in mentem. c. gen. Naev. carm. frg. 21 ei venit in mentem hominum fortunas. Rud. 685 sq. miserae ⟨quom venit⟩ in mentem / mihi mortis. Phorm. 154 patrem ut extimescam, ubi in mentem eius adventi veniat. Afran. com. 346 non dolorum partionis veniet in mentem tibi? Sulla hist. 3 (Gell. 20, 6, 3) ut etiam nunc nostri vobis in mentem veniat. Cic. Quinct. 6 non minus saepe ei venit in mentem potestatis quam aequitatis tuae. S. Rosc. 95 venit enim mihi in mentem oris tui. c. prp. de Most. 271 ut lepide atque astute in mentem

venit de speculo malae. Hec. 536 sq. sed nunc mi in mentem venit / de hac re quod locuta es olim.

personaliter usurpatur. Aul. 226 venit hoc mihi, Megadore, in mentem, ted esse hominem divitem. Cas. 379 unum venit in mentem modo. Epid. 638 non me nosti? # quod quidem nunc veniat in mentem mihi. Merc. 900 sane hoc non in mentem venit dudum, ut ubi ⟨sit dicerem⟩. Persa 388 sq. ergo istuc facito ut veniat in mentem tibi, / me esse indotatam. Poen. 1086 festivom facinus venit mi in mentem modo. Pseud. 134 quorum numquam quicquam quoiquam venit in mentem ut recte faciant. 538 scin quid mihi in mentem venit? Trin. 747 omnia istaec veniunt in mentem mihi. 1050 hoc qui in mentem venerit mihi? Haut. 886 sq. servi venere in mentem Syri / calliditates. 888 sq. idem istuc mihi / venit in mentem. Phorm. 77 venere in mentem mi istaec. 652 sq. nam mihi venibat in mentem eius incommodum, / in servitutem pauperem ad ditem dari (incommodi Bentley). Cic. inv. 2, 132 ex ea ratione, quae in mentem aut in libidinem venerit.

mentionem facio c. gen. Bacch. 252 istius hominis ubi fit quomque mentio. Rud. 1289 sq. perii cum mentionem / fieri audio usquam viduli. Trin. 976 auri feci mentionem. 1069 quis est qui mentionem homo hominis fecit optumi? Truc. 195 horresco misera, mentio quotiens fit partionis. Eun. 437 sq. si quando illa mentionem Phaedriae / facit. Cic. inv. 1, 94 ut alterius (sc. rei) non faciat mentionem. 2, 56 eorum mentionem in coniecturali constitutione fecimus. 2, 58 cum parricidii autem mentio solum facta esset. S. Rosc. 5 eius rei . . . mentio facta non est. 21 cum nulla . . . proscriptionis mentio fiereti c. prp. de Aul. 204 ubi mentionem ego fecero de filia. Mil. 993 subauscultemus ecquid de me fiat mentio. Persa 108 sq. meministi, here, qua de re ego tecum mentionem feceram? Rhet. Her. 2, 28, 45 vitiosum est . . . de re altera mentionem non facere. Cic. Quinct 39 cum statuisses mentionem de pecunia facere.

mentionem habeo. Liv. Andr. carm. frg. 13 (Prisc. gramm. II 198) atque escas habemus mentionem.

in memoriam induco. Persa 643 ne suarum se miseriarum in memoriam inducas.

moneo c. acc. Stich. 58 qui manet ut moneatur semper servos homo officium suom. c. acc. pron. neutr. Aul. 145 ted id monitum advento. Capt. 53 est, paucis vos quod monitos voluerim. 309 hoc te monitum . . . voluerim. Curc. 384 nil tu me saturum monueris. Pseud. 915 hoc volo monere te. Rud. 28 moneo vos ego haec.

admoneo c. acc. pron. neutr. Haut. 353 ridiculumst istuc me admonere. Rhet. Her. 4, 1, 2 id enim, quod admonuerit et leviter fecerit praeceptio. 4, 27, 37 quod occulte admonuisse prodest.

commoneo c. gen. Rud. 743 mearum me absens miseriarum commones. Rhet. Her. 4, 33, 44 non illae te nuptiales tibiae eius matrimonii commonebant? c. acc. Pseud. 150 officium vestrum ut vos malo cogatis commonerier. c. prp. de Rhet. Her. 3, 11, 20 de magnitudine vocis et firmitudinis parte . . . nihil nos attinet commonere.

commonefacio c. gen. Rhet. Her. 4, 24, 33 cum ipse te veteris amicitiae commonefaceret.

Consulto cogitateque omnia huius usus exempla supra composui, nempe ut appareat, quaenam ratio intercedat inter genetivum et accusativum verbis reminiscendi appositum.

Sed ubinam investigemus rationem cui unusquisque assentiatur? Difficillima sane est quaestio, etenim a viris doctis disceptabatur de hac re; hic casu accidisse censebat, ille notione esse effectum, ut alio loco alius poneretur casus; quidam diligenter distinguebant inter personas et res singulis verbis appositas, alii de ratione invenienda prorsus desperabant. Longum est exponere quid unusquisque senserit; plerique rem summatim absolverunt, priscam latinitatem parum respexerunt; cuius illis solis locis rationem habuerunt quibus discrepat illa cum praestantissimorum scriptorum usu.

Habemus commentarium quem de hoc usu conscripsit Babcock [1]); qui etsi exemplorum numerum

1) Clinton L. Babcock, A study in case rivalry being an investigation regarding the use of the genitive and the accusative in latin with verbs of remembering and forgetting. Cornell Studies 14, Ithaca NY. 1901.

congessit permagnum, tamen rem ipsam reliquit parum expeditam et perfectam. Neque enim modo verba 'commonere sim., venit in mentem, mentionem facio' neglexit, sed etiam de toto usu ex opinione ante concepta iudicavit; nam censet numerum exemplorum plurimum valere ad quaestionem solvendam singulisque quos in tabulas rettulit numeris evinci in prisca latinitate multo praevalere accusativum, genetivum posterioribus temporibus magis magisque principatum obtinere.

Viro illi docto oblocutus Dittmar[1]) negat ex accusativorum numero paulo maiore colligi posse genetivum paulatim in linguam latinam irrepsisse, praesertim cum respicias monumenta quae ad nos pervenerint exiguas esse reliquias totius sermonis vigentis.

Itaque penitus in hanc rem inquirendum est, ut pernoscamus rationem, quae suum cuique loco impertiat casum. Neque enim quisquam credat casu effectum esse ut sexies apud Plautum extet locutio 'officium memini' deinde ut 'rem memini' inveniatur et apud Plautum et apud auctorem ad Herennium.

Quarum rerum iam Reisig[2]) videtur habuisse rationem, quippe qui censeat genetivo talem inesse significationem, ut de parte tantum totius notionis cogitetur. Sed ea quae de singulis verborum iuncturis atque de significatione utriusque casus statuit, haud ita apta sunt. Posterioris aetatis viri docti cur parum profecerint in hac re, iam supra exposui, post Babcockii autem curas minus fructuosas subtilissime ac felicissime quaestionem de qua agimus examinavit Dittmar, qui unumquodque exemplum ad certam rationem rettulit et notiones interpretatione germanica illustravit. Sed cum nonnulla exempla neglexerit

1) BphW 21, 1901, 1267 sqq. 1297 sqq. 1332 sqq.
2) Reisig-Haase-Landgraf, Vorles. 570 sq.

rationemque genetivi antiquissimam parum expresse ostenderit, iterum quaestionem propositam absolvam oportet.

Verbo 'memini' cum accusativo coniuncto eadem inest notio atque formulae 'memoria teneo aliquem sive aliquid' i. e. ich habe etwas meinem Gedächtnis eingeprägt, ich kann etwas auswendig, ich habe etwas mitgemacht, ich kenne jemand, ich habe jemand erlebt, ich kann mich auf jemand besinnen. Contra genetivus cum verbo 'memini' compositus idem valet ac 'memor sum, venit mihi in mentem vel rationem habeo alicuius sive alicuius rei' i. e. ich denke an jemand, es kommt mir etwas in den Sinn, es schwebt mir etwas vor, ich lasse meine Gedanken hinschweifen zu jemand, ich nehme auf etwas Rücksicht, ich kümmere mich um jemand. Singula exempla secundum ordinem quem supra adhibui excutiam.

memini c. gen. personae. Quo de usu errat Dittmar[1]) cum scribit in prisco sermone nullum extare exemplum genetivi vel accusativi personae, Plautum enim vel Terentium non habuisse cur alicuius viri clari mentionem fabulis insererent, contra Ciceronem saepe audientium legentiumve animos convertere in viros de re publica bene meritos. Sed habemus Bacch. 206 ecquidnam meminit Mnesilochi? ubi Chrysalus servus Pistoclerum adulescentem interrogat, num Bacchidem amicam erilem invenerit, atque sciscitari pergit, utrum memor sit illa amici necne. Optime igitur quadrat ad hunc locum ratio illa a Dittmario constituta; nam 'meminit Mnesilochum?' idem significaret atque 'etiamne novit amicum?'

memini c. gen. rerum. Imprimis digni sunt qui animadvertantur ii loci quibus dux a militibus

1) l. l. 1299.

petit, ut patriae vel fortitudinis vel hostium crudelitatis sint memores; quos locos lepide in risum convertit Terentius cum Thrasonem militem illum gloriosum facit exclamantem Eun. 815 Sanga, ita ut fortis decet milites, domi focique fac vicissim ut memineris. Similem rationem etiam ad reliqua exempla p. 41 enumerata congruere facile intelleges.

Memini c. acc. Poen. 1062 sq. ecquid meministi tuom parentum nomina, / patris atque matris? # memini. 'Kennst du die Namen deiner Eltern, des Vaters und der Mutter? Ich weiss sie noch!' Prava sit sententia 'denkst du an deine Eltern?' Itaque in personis distribuendis cod. A praestat, neque Dittmario assentior, qui versum alterum secundum cod. P Agorastocli attributum germanice reddit 'ich kenne die Namen sowohl des Vaters als auch der Mutter', nam quod vox 'nomina' deest, nihil obstat quominus putemus genetivos pendere e verbo 'memini' atque vertamus 'ich denke an Vater und Mutter', id quod sensui nequaquam conveniret.[1] Iuncturae 'officium memini' apte respondet illud germanicum 'ich kenne meine Pflicht', cum nihil ad rem esset 'ich denke an meine Pflicht'. Quam ad locutionem prope accedunt 'rem memini', 'praecepta memini' sim. Neque neglegendum est exemplum duplicis accusativi Truc. 220 nos divitem istum meminimus atque iste pauperes nos 'wir haben ihn als Reichen im Gedächtnis, er uns als Arme', ubi genetivus nimium offenderet. Similiter res se habet Rhet. Her. 3, 22, 37. Aul. 541 sq. pro re nitorem et gloriam pro copia / qui habent, meminerunt (sie wissen) sese unde oriundi sient.

1) Suo iure supplevit Leo Epid. 553 te memini, cf. 550 ut tu noveris.

Quae ratio maxime fulcitur iis verbis cum 'memini' coniunctis quae sensu simili sunt praedita, velut 'teneo, scio' sim. Cuius rei exempla Dittmar affert Plauti Persae 183. 186 (supra 41) Stich. 35 sq. quin illi suom officium / non colunt. ibid. 46 ~ 40. 43. percipere Rhet. Her. 2, 18, 27. cf. praeterea Curc. 384. Persa 118. 176. Poen. 557. Poen. 1278 in memoria habeas ~ 1279 memini.

Optime denique duae illae structurae internosci possunt, cum quaenam adverbia unicuique casui sint adiuncta respicis[1]). Genetivo enim adverbia quantitatis, ut ita dicam, accusativo autem qualitatis adverbia addi apparet. Cum genetivo igitur coniunguntur vocabula qualia 'semper, numquam, raro, saepe, dum vivo'. Exempla habes haec Capt. 800. Eun. 801 (semper); Persa 494. Haut. 951 (dum vivat); Eun. 815 (vicissim i. e. 'wiederum'). Contra accusativo apposita inveniuntur haec adverbia 'iucunde, suaviter, probe, facile, melius, firme'; cf. Rhet. Her. 3, 22, 37 (facile cf. etiam Capt. 393 istuc ne praecipias, facile memoria memini tamen). Men. 45 (facilius) Cato orig. 31 (minus) Rhet. Her. 3, 22, 35 (optime saepe). Rhet. Her. 4, 56, 69 'firme et perpetue memineri-

1) cf. R. M. Meyer, Bedeutungssysteme (Zs. f. vgl. Sprf. 43, 1910, 352 sqq.) 361, ubi de notionis discrimine agit, quod inter verba sensu paulo discrepantia intersit, velut germ. 'marschieren, gehen, laufen': Es muss ein allgemeinerer Oberbegriff gefunden werden, von dem die Aktionskategorien nur Unterfälle bilden. Aber wir können auch diese ohne alle Spekulation aus der Erfahrung gewinnen. Wir brauchen nämlich bloss zu prüfen, welche Adverbia oder adverbiale Bestimmungen mit den Verben eines einzelnen Bedeutungssystems typisch verbunden werden. Denn in diesen verdeutlichenden Zusätzen kommt nur noch einmal nachdrücklicher zum Ausdruck, was eigentlich durch die verschiedenen Wurzeln selbst schon spezifisch ausgesagt wird.

mus' utriusque generis advv. usurpantur, sed obiectum deest. Etiam nostrates simili modo abhorrent a talibus iuncturis verborum 'an meinen Grossvater denke ich angenehm' vel 'an jene Zeit denke ich freundlich', sed adamant haec 'meinen Grossvater habe ich in angenehmer Erinnerung' atque 'jene Zeit habe ich in freundlichem Gedächtnis'; e contrario non inveniuntur 'ich habe meinen Freund in häufigem Gedächtnis' neque 'in seltener Erinnerung', sed 'ich denke häufig an meinen Freund, er kommt mir immer in den Sinn, ich habe ihn stets im Gedächtnis'.

Simile quiddam statui potest de verbo obliviscendi; nam cum genetivo coniunctum idem significat atque 'immemor sum' vel 'non venit mihi in mentem, rationem non habeo', vernaculo sermone 'ich denke nicht an jemand, etwas fällt mir nicht ein, ich kümmere mich nicht um etwas'; cum accusativo compositum idem est atque 'e memoria depono aliquem sive aliquid, oblivione obruitur aliquid' germanice 'ich habe jemand aus dem Gedächtnis getilgt, ich habe mir etwas nicht gemerkt, ich habe etwas liegen lassen, verloren, ich vergesse und vergebe etwas, für mich ist etwas oder jemand nicht vorhanden, ich setze ihn zurück'.

Exempla affero haec Bacch. 790 oblitus sum omnia 'ich habe alles vergessen, so sehr ich in meinem Gedächtnis nachsuche, ich finde nichts mehr' i. e. nihil memini (Petron. 91, 7). Cas. 104 non sum oblitus officium meum 'ich habe meine Obliegenheiten behalten' i. e. officium memini. Trin. 1013 satin in thermipolio condalium es oblitus? 'hast du nicht in der Kneipe deinen Ring liegen lassen, verloren? Magni momenti ea quoque sunt exempla quae praebent accusativum pronominum personalium.

Facile enim accidere par est ut dicat quispiam 'mei rationem non habui' vel 'negotiis occupatus tui non memor fui', id quod verbo obliviscendi cum genetivo coniuncto respondeat (cf. Eun. 304 ita prorsum oblitus sum mei); accusativus autem illi verbo additus significat 'memoriam alicuius prorsus oblitterare'. Quam explicationem probari vides his exemplis Acc. trag. 190 veritus sum arbitros: atque utinam memet possim obliscier 'könnte ich mich doch selbst aus meinem Gedächtnis streichen'. Liv. Andron. carm. frg. 4 neque enim te oblitus sum, Laertie noster 'ich habe dich nicht zurücksetzen können'. Similiter Acc. trag. 488 an ego Ulixem obliscar umquam aut quemquam praeponi velim? cf. praeterea Cic. S. Rosc. 49 et artificium obliviscatur et studium deponat licebit 'es wird ihm nichts anderes übrig bleiben, als die Kunstfertigkeit aus seinem Gedächtnis zu tilgen und auf seinen Beruf zu verzichten'.

Deinde respiciendum est verba 'reminisci' et 'recordari' excepto illo obscuro Quadrigarii (hist. 55) nullo loco cum genetivo coniuncta inveniri, id quod sola verborum illorum notione explicatur transitiva aliquid in memoriam, in cor revocandi (cf. Varro ling. 6, 46 recordare rursus in cor revocare).

Quod Ziemer[1]) locutionem 'venit mihi Platonis in mentem' ortam esse iudicat permixtis 'venit mihi Plato in mentem' et 'reminiscor Platonis', equidem moneam exempla illius iuncturae extare satis vetusta, deinde 'reminiscor' in prisco sermone duobus locis cum accusativo coniungi, ita ut potius de analogia verbi 'memini' cogitari liceat quam de ista structura mixta. Sed et hanc explicandi viam ne ineamus suadeam, quoniam usus impersonalis personali anti-

1) Junggrammatische Streifzüge im Gebiete der Syntax, Colberg 1882, 99.

quior esse videtur (cf. infra 71), personaliter autem imprimis usurpantur neutra pronominum. Accedit quod praepositio 'de' eodem modo atque genetivus apponitur illi formulae.

Haec hactenus de casuum differentia disputavisse satis habeo atque hoc unum moneo non obstare ei quam argumentis confirmavi explicationi quod posterioris aetatis homines interdum confundebant utriusque casus rationes; talia enim saepe in linguarum historia evenire nemo ignorat.

Sed restat ut in genetivi his verbis additi originem ac naturam inquiramus, de qua homines arte grammatica eruditos dissentire iam ex iis apparet quae supra exposui. Diu enim pervulgata erat opinio genetivum pendere e notione substantivi vel adiectivi his verbis insita[1]); e. g. Kühner docet loquentibus in animo fuisse pro 'memini' 'memoriam habeo' vel 'memor sum alicuius', pro 'obliviscor' 'oblivionem habeo alicuius' pro 'commoneo te rei' 'facio ut memor sis rei', quam explicationem (cf. supra 3) extrinsecus assumptam esse neque quicquam conferre ad rationem evolvendam neminem fugere opinor. Etenim desunt fere in prisca latinitate exempla vocis 'memoria' illo modo usurpatae; deinde loci quibus praepositio 'de' eodem atque genetivus sensu adhibetur, isti genetivo iam inesse relationis notionem plane ostendunt. Accedit quod etiam in aliis linguis indogermanicis cum verbis reminiscendi et genetivus coniungitur et accusativus[2]); sed quaenam ratio inter illos casus intercedat, adhuc non patet[3]). Itaque

1) Reisig-Haase-Landgraf, Vorles. adn. 532; Kühner Ausf. lat. Gram. II 1 344; Draeger, Hist. Synt. ^{2}1, 488.

2) cf. Brugmann, Grdr. d. vgl. Gram. II 2 ^{2}590 sq.

3) etiam Kühner-Gerth, Ausf. Gr. d. gr. Spr. II 1^{2} 364 adn. 12 de ratione quae fuerit in lingua graeca tacet.

dubito num statuamus iam ab antiquissimis temporibus genetivum verbis reminiscendi appositum significasse obiectum, alio sensu accusativum scilicet obiecti ipsius casum accessisse; quamquam feliciter congruit cum ratione genetivi quam supra enodavimus notio illa genetivi universi a Brugmanno constituta, ex qua genetivum rei derivavi (supra 34). Antequam reliquae dialecti indogermanicae excutiantur, cautius nos agere arbitror, cum sumimus Romanos duos illos casus permiscue usurpatos a sermone antiquissimo accepisse, deinde alteram alteri conciliasse provinciam nempe utentes universa utriusque casus notione.

II. De verbis studendi.

cupere c. gen. Mil. 963 qui ingenuis satis respondere nequeas quae cupiunt tui (cupit ut CD, capiti uti B, corr. Scioppius). Trin. 842 pol quamquam domi cupio opperiar (domi A domum P, cf. Bacch. 277 sq. infra) participium c. gen. coniunctum Amph. 132 cubat complexus cuius cupiens maxime est. Bacch. 277 sq. in navem conscendimus, / domi cupientes (domum, corr. Ritschl). Mil. 997 quae huius cupiens corporist. 1049 nam hunc anulum ab tui cupienti huic detuli (ab tui om. B; scribendum sit a vel abs tui; ab ⟨illa⟩ tui Bugge; cf. Langen Beitr. Lpz. 1880, 333). 1165 cupiens istius nuptiarum. Poen. 73 sq. diviti quoidam seni, / cupienti liberorum, osori mulierum. Enn. ann. 77 sq. curantes magna cum cura tum cupientes / regni dant operam simul auspicio augurioque. Hec. 141 sq. nemo ad te venit / nisi cupiens tui. c. acc. Bacch. 777 sq. ni meum / gnatum tam amem atque ei facta cupiam quae is velit. Cas. 286 nihil est me cupere factum. 814 di hercle me cupiunt servatum. Curc. 204 sq. quis nominat me? # qui te conventum cupit. / # haud magis ⟨me⟩ cupis quam ego te cupio (me Fleckeisen, Goetz) Epid. 644 di me ex perdita servatam cupiunt. Mil. 1050 ut quae te cupit, eam ne spernas. Persa 567 gratiam cupient tuam. Rud. 1164 di me servatum cupiunt. Trin. 238a. eos

cupit, eos consectatur (eos petit eos sectatur A). Truc. 877 factum cupio. Haut. 667 ita tempus fert, mi ut cupiam filiam. 774 hanc cupere uxorem. 885 qui cupiunt nuptias. Eun. 165 sq. ubi mi dixti cupere te ex Aethiopia / ancillulam. Afran. com. 350 sq. cecidit spes reducendi domum / quam cupio. c. acc. pron. neutr. Naev. com. 9 quae ego nolo ea cupis. Asin. 84 cupis id quod cupere te nequiquam intellego. Bacch. 1179 omnia quae cupio commemoras. Cas. 267 quid istuc tam cupide cupis? 449 sq. quod maxime / cupiebas, eius copiam feci tibi. Curc. 171 haud quicquamst, magis quod cupiam. 364 quando illud quod cupis effecero. Merc. 338 proprium nequit mihi evenire quod cupio? Mil. 1040 multae aliae idem istuc cupiunt. 1230 quod cupiam ne gravetur. Persa 766 omnia quae tu vis ea cupio. Pseud. 692 euge par pari aliud autem quod cupiebam contigit. Trin. 1117 ita commoda quae cupio eveniunt. Truc. 887 dum id quod cupio inde aufero. Andr. 825 dum id efficias quod cupis. 902 quidvis cupio. passive Merc. 841 non cupitast civitas. Poen. 1271 huic cupitum contigit. c. dat. i. q. favere. Andr. 905 ipsi cupio Glycerio. cf. Thes. 4, 1435, 33 sqq.

studere c. gen. Caecil. com. 201 qui te nec amet nec studeat tui. dubium, utrum genetivus extet an dativus, est Truc. 457 mater dicta quod sum, eo magis studeo vitae ('subintellegit doli' Leo). c. dat. Asin. 182 illi rei studet. 867 lustris studet. Aul. 359 quamquam Volcano studes. Merc. 192 armamentis complicandis componendis studuimus. Mil. 215 ne somno stude. Most 29 quom his factis studet. Persa 337 quamquam libenter escis alienis studes. Pseud. 175 quae suae rei, quae somno studeat. Stich. 678 lectis sternendis studuimus munditiisque apparandis. Rhet. Her. 2, 27, 43 partes quibus illi student. c. acc. Mil. 1437 minus has res studeant. Truc. 337 illum student iam. Andr. 58 sq. horum ille nil egregie praeter cetera / studebat, et tamen omnia haec mediocriter. Titin. com. 85 Ferentinatis populus res Graecas studet. c. acc. pron. neutr. Poen. 575 lenonem ut periurum perdas, id studes (vv. 567—575 dittographiae tribuit Weise). Enn. scen. 237 id agit, ⟨id⟩ studet, ibi mentem atque animum delectat suum (id add. Ribbeck). Haut. 382 id quom studuisti isti formae ut mores consimiles forent. Hec. 199 utin omnes mulieres eadem aeque studeant nolintque omnia. Trabea com. 2 quid velim, quid studeam.

fastidire c. gen. Aul. 245 fastidit mei. Stich. 334 mein fastidis, propudiose? (mihin A, mihi in P, corr. Lipsius). Titin. com. 93 sq. mein fastidis, / meae deliciae? Turpil. com. 103 viden ut fastidit mei? Lucil. 293 tristis, difficiles sumus, fastidimus bonorum. 654 ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis. c. acc. Cato agr. 103 (boves) qui fastidient cibum, uti magis cupide adpetant. c. prp. ad Trac. 932 omnes homines ad suom quaestum callent et fastidiunt.

vereri c. gen. Phorm. 971 neque huius sis veritus feminae primariae. Afran. com. 31 ⟨ego⟩ si non verear, nemo vereatur tui. 99 optandum uxorem quae non vereatur viri. 302 sq. tui / veretur, me ad te misit oratum pater. impersonaliter usurpatum (cf. Neue-Wagener, Formenlehre 3[3] 659). Pacuv. trag. 182 sq. Tyndareo fieri contumeliam / cuius [a] te veretur maxume (Non. 496, 43 a del. Vossius). Acc. trag. 76 si tui veretur te progenitoris, cedo. Atta com. 7 nihilne te populi veretur, qui vociferere in via? c. acc. Amph. 22 sq. intellexerat / vereri vos se et metuere. 832 Iunonem, quam me vereri et metuere est par maxume. Mil. 1266 ut me veretur. Rud. 390 sq. eam veretur / ne perierit. Enn. scen. 59 virgines vereor aequalis. Haut. 197 sq. et nunc nil magis / vereor quam ne quid in illum plus satis faxit. Eun. 854 num meam saevitiam veritus es? Phorm. 315 itane patris ais adventum veritum hinc abiisse? Pacuv. trag. 328 neque paternum aspectum es veritus. Cato orig. 95 bP. si nemo esset homo quem vereremur. Acc. trag. 190 veritus sum arbitros. Lucil. 1219 nemo hic vindicias neque sacra veretur. Rhet. Her. 2, 19, 28 eum interimere, a quo supplicium verebatur. 4, 24, 33 leges, quae id facere prohibent, veritus? 4, 36, 48 eos quos aut vereri aut metuere debemus. Cic. Quinct. 1 quarum (rerum) alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo. c. acc. pron. neutr. Trin. 738 verum hoc ego vereor. 808 nihil est de signo quod vereare. Haut. 939 ne quid vereare. Eun. 644 hoc quid sit vereor. Phorm. 738 nihil est quod verear. Rhet. Her. 4, 2, 4 illud enim veremur, ne cui satis sit. Cic. Quinct. 53 si in parvola re captionis aliquid vererere. S. Rosc. 95 cum hoc vereor. 145 nonne ostendis id te vereri? passive Afran. com. 34 ubi malunt metui quam vereri se ab suis.

revereri c. gen. Varro Men. 449 non te tui saltem pudet, si nihil mei revereatur? c. acc. Epid. 173 revereor filium. Phorm. 232 sq. non simultatem meam / revereri saltem! Hec. 290 adventum tuom ambas, Pamphile, scio reverituras.

Genetivum his verbis adiunctum iam in prisco sermone rariorem fuisse accusativo exempla docent. Quaerentibus nobis, quaenam ratio subsit huic structurae, primum tractanda est interpretatio extrinsecus arcessita, graecismum dico. Kühner[1]) quidem confert cum verbis 'cupere' et 'studere' *ἐπιθυμεῖν, ἐφίεσθαί τινος*, cum verbo 'fastidire' *ἄχνυσθαί τινος*, Draeger[2]) 'fastidire' ad analogiam verborum 'piget' et 'taedet' cum genetivo esse coniunctum putat. Consentiunt fere viri illi docti de verbo 'vereri', quod Draeger ad analogiam verbi 'pudet' cum genetivo componi censet, Kühner[3]) verbis 'miseret, taedet' rell. asserit.

Sed nihil habemus quod probet tales explicandi rationes. Nam de graecismis iam (supra p. 2) verba feci, deinde etsi verbi verendi structuram impersonalem ad exemplum vocis 'pudet' fictam esse verisimile est, tamen usui personali aliam quoque subesse rationem infra apparebit.

Neque assentiri possum Schmalzio[4]), qui genetivum cum his verbis coniunctum exemplo adiectivorum 'cupidus, studiosus, fastidiosus'[5]) effectum esse censet. Neque enim convenit haec explicatio cum verbo verendi, quippe cui non adsit adiectivum, nisi cogitet quispiam de participio 'metuens' Turpil. com. 157 c. gen. coniuncto. Itaque cum sumimus genetivum illis adiectivis appositum esse priorem, restat ut etiam hunc genetivum interpretemur, id quod Delbrück[6]) recte monuit. Itaque eo adducimur, ut

1) Ausf. Gram. d. lat. Spr. II 1 [1]346 sq. [2]474 sq.

2) Hist. Synt. I [2]492 sq.

3) l. l. II 1 [1]342. [2]468.

4) Lat. Synt. u. Stil. [4]369.

5) primum c. gen. coni. legitur Cic. Brut. 247. cf. Thes. 6, 312, 75.

6) Vgl. Synt. I, Strassburg 1893, 325.

accipiamus etiam adiectiva 'cupidus, studiosus' genetivum ab aliis adiectivis velut 'compos' assumpsisse.

Multo melius atque simplicius nos quaestioni satisfacere arbitror, cum statuimus utramque structuram, i. e. genetivum et adiectivis et verbis additum ex eodem fonte manavisse. Denique hoc genetivi genus nequaquam repugnare usui in reliquis linguis indogermanicis obvio iam linguae graecae probatur testimonio; locos ex aliis quoque dialectis petitos composuit Brugmann, Grdr. d. vgl. Gram. II 2 [2] § 509, 4, cui capiti inscripsit 'Körperliches und geistiges Tun mit dem Begriffe des Hinstrebens nach etwas' (sogen. Genetiv der Zielstrebigkeit), atque suo iure statuit hunc genetivum proxime abesse a genetivo rei; in utroque enim genere notio ad quam actio verbo expressa attinet genetivo significatur. Ad hanc igitur rationem etiam usum latinum esse referendum his argumentis plane me confirmasse puto.

Ad singula verba sunt quae adnotentur. 'Cupio' primum animi affectum significasse[1]) apparet e verbo, quod latino respondet in lingua indica 'kúpyāmi' 'exaestuo, irascor'; a qua notione vis 'appetendi' sive 'favendi' haud longe abest.

Verbum fastidiendi etsi non praeditum est notione cupiendi ('der Zielstrebigkeit'), tamen huc adiungendum esse censeo quasi contrarium verbo cupiendi, quod satis dilucide apparet e loco Catoniano s. s. '(boves) qui fastidient cibum, uti magis cupide adpetant'.[2])

1) cf. Walde, Lat. et. Wb.[2] 214; Osthoff, Zur Geschichte des Perfects im Idg., Strassburg 1884, 580; Thurneysen, Thes. 4, 1429, 24 sqq.

2) Longe aliter res se habet Varro rust. 3, 9, 21 'si in farciendo nimio cibo fastidiunt'; etenim haec quoque iunctura est pervetusta, cf. quae de illius ablativi genere disserit Brugmann, op. l. § 462, 8 (p. 500).

Deinde si ad verbum verendi spectamus, notionis principalis[1]) rationem esse habendam monuit Brugmann l. l., namque respondet v. gr. ὁρῶ, theod. 'wara nëman'[2]); initio igitur significavit 'anxie observare', quam notionem contulisse aliquid ad genetivum adsciscendum verisimillimum est, quandoquidem verba, quibus sensuum animadversio significatur, testibus linguis ind. pers. graeca[3]) antiquitus cum genetivo sunt coniuncta. Accusativus verbo 'vereri' additur ut transitivo, quoniam saepe una legitur 'metuere' velut Amph. 23. 832. Afran. com. 34. Rhet. Her. 4, 36, 48. Cic. Quinct. 1. Constructionem impersonalem ad exemplum verbi 'pudet' formatam esse inde comprehendimus, quod verendi notio illa recens 'sich scheuen' prope accedit ad 'sich schämen'. Una leguntur illa verba Andr. 637 sqq. cf. etiam Varro Men. 449.

III. De verbis affectuum impersonalibus.

miseret c. gen. Capt. 764 sq. neminis / miserere certum est, quia mei miseret neminem (misereri, corr. Spengel). Curc. 518 sq. si huius miseret, / ecquid das qui bene sit? Acc. trag. 94 miseret lacrimarum luctuum orbitudinis (ex. dubia: Pacuv. trag. 329 sq. neque fratris necis / neque eius gnati parvi, qui tibi in tutelam est traditus / ⟨miseritum est⟩ secutum esse videtur Hermanno. Acc. trag. 621 sq. nam huius demum miseret, cuius nobilitas miserias / nobilitat. Non. 352, 8 huius Ribbeck, his GLW is rell.; miseret Ribb., 'miserer' libri boni 'miserest' AB). c. gen. et acc. Bacch. 1044 miseret me illius. Capt. 764 sq. v. c. gen. Cist. 769 me huius miseret. Most. 985 me eius patris misere miseret. Pseud. 378 qui me tui miserere

1) J. B. Hofmann, De verbis quae in prisca latinitate extant deponentibus, (Diss. Monac.) Gryphisw. 1910, 34 adn. 1 hanc significationem deprehendere sibi videtur Eun. 644 hoc quid sit vereor 'ich beobachte ängstlich'.

2) cf. Walde, op. l. 820.

3) cf. Brugmann, l. l. 588 sq.

postulas (misereri, corr. Spengel). 1324 neque te mei tergi misereret. Rud. 277 miseriarumque te ambarum uti misereat. Stich. 329 me quidem harum miserebat. Trin. 343 ut ita te aliorum miserescat, ne tis alios misereat. 430 sq. me eius miseritumst. / # miseret te aliorum, tui nec miseret nec pudet. Truc. 223 piaculumst miserere nos hominum rei male gerentum. Vid. 71 quia me miserebat tui. Enn. scen. 60 mea mater, tui me miseret, mei piget. 139 lapideo sunt corde multi quos non miseret neminis. Andr. 869 nonne te miseret mei? Haut. 168 miseretque me eius. 260 quoius nunc pudet me et miseret. 463 sq. ut me tuarum miseritumst, / Menedeme, fortunarum. 749 sq. ut nunc Menedemi vicem / miseret me. Eun. 802 miseret tui me. Phorm. 188 eius me miseret, ei nunc timeo. Hec. 446 me miseret mulieris. Pacuv. trag. 198 neque te mei miseret. Turpil. com. 54 ni Calliphonis nunc te miseret liberum. Scipio min. or. frg Macr. sat. 3, 14, 7 quod me rei publicae maxime miseritum est. Pompon. Atell. 79 miseret me eorum. c. acc. Pacuv. trag. 355 miseret me. absolute Persa 639 atque equidem miseret tamen. Pseud. 274 misereat, si familiam alere possim misericordia. c. neutr. Pseud. 308 nilne te miseret? (te A, temet P, te mei ς). personaliter usurpatum c. gen. Hec. 63 sq. ergo propterea te sedulo / et moneo et hortor, ne quoiusquam misereas (misereas A, te suprascr. A_2, misereat BC, te misereat DEF, Donatus; deest 'te' idem). obi. deest. Enn. ann. 171 cogebant hostes lacrimantes ut misererent. scen. 197 miserete manus (anuis Scaliger).

miseretur c. gen. Cist. 457 volup est neque tis misereri decet. Pacuv. trag. 354 cepisti me istoc verbo, miseretur tui. Gracch. or. frg. Gell. 20, 6, 11 misereri vestrum. Rhet. Her. 2, 6, 9 cum dicit malorum misereri non oportere. 3, 3, 4 si aut innocentium aut supplicium misereri dicemus oportere. Cic. inv. 1, 48 ut maioribus natu assurgatur, ut supplicum misereatur. 2, 51 negat malorum misereri oportere. 2, 109 eorum misereri oportere. c. gen. et. acc. Turpil. com. 55 quam matris nunc patris me miseretur magis. L. Crass. or. frg. Prisc. gramm. II 428 neque me minus vestri quam mei miserebitur. Quadrig. hist. 83 (Gell. 20, 6, 11) C. Mari, ecquando te nostrum et rei publicae miserebitur? personaliter usurpatum c. gen. Cato or. frg. 54 J. (Gell. 10, 14, 3) uti . . . rei quoque publicae medius fidius miserear. Afran. com. 417 nescio qui nostri miseritust tandem deus. Acc. trag. 355 (Non. 445, 11) te conmiserabam magis quam miserebar mei (miserabar, corr. Junius). Rhet. Her. 1, 14, 24

postulat ut sui misereantur .4, 52, 65 miserere nostri. obi. deest Com. pall. inc. 92 (Sen. controv. 9, 27, 20) saepe qui misereri potuit, rogitat misericordiam.

miserescit c. gen. et acc. Trin. 343 ut ita te aliorum miserescat, ne tis alios misereat (miseres cane [cave C D] tui alius P). Haut. 1026 eius ut memineris atque inopis nunc te miserescat mei. c. neutr. pron. Epid. 526 si quid est homini miseriarum quod miserescat, miser ex animost.

commiserescit c. gen. et acc. Rud. 1090 ut ted huius commiserescat mulieris. Hec. 128 sq. ut ipsam Bacchidem, / si adesset, credo ibi eius commiseresceret. Trag. inc. 245 sq. nilne te / horum fortunae, nil commiserescit meae? c. neutr. idem locus! personaliter usurpatum c. gen. Pacuv. trag. 391 Priamus si adesset, ipse eius commiseresceret. Turpil. com. 211 hoc te oro, ut illius conmiserescas miserae orbitudinis. obi. deest Enn. scen. 186 Myrmidonum vigiles conmiserescite.

misero c. acc. Acc. trag. 195 atque ita de illis merui, ut iure haec numquam miserarent mala. passive Trag. inc. 198 horrenda miseranda ista sive est calamitas.

miseror c. acc. Epid. 534 quae ipsa se miseratur. Rud. 197a. minus me miserer. Vid. frg. 15, 2 boni miserantur illum, hunc inrident mali. Acc. trag. 353 quid miserare? (Non. 445, 8 miserari, miseras Mueller [seq. i]). Lucil. 603 si miserantur se ipsi.

commisero c. acc. Acc. trag. 355 te conmiserabam magis quam miserebar mei (miserabar, corr. Junius). Cic. Arat. 191 conmiserans hominum metuendos undique casus. passive Rhet. Her. 4, 55, 69 in amplificanda et conmiseranda re. obi. deest Enn. ann. 103 lacrimantes, commiserantes.

paenitet c. gen. Stich. 551 et si duarum paenitebit, inquit, addentur duae. 713 si horum, quae adsunt, paenitet. Eun. 1013 an paenitebat flagiti? Acc. trag. 491 tum quod superest socium mittis leto? an lucti paenitet? c. gen. et acc. Truc. 431 (munus) cuius me non paeniteat. Phorm. 172 nostri nosmet paenitet. Hec. 775 non paenitet me famae. Acc. trag. 312 sq. quod si procedit, neque te neque quemquam arbitror / tuae paeniturum laudis, quam ut servés vide (usui personali tribuit Klotz Arch. f. lat. Lex. 15, 1908, 409). Cic. inv. 2, 9 neque nos neque alios industriae nostrae paenitebit. c. acc. Stich. 307 quam me paenitet! accedit enuntiatum. Amph. 1124 pol

me haud paenitet, si . . . Aul. 434 me haud paenitet, tua ne expetam. Cist. 47 ecastor haud me paenitet, si . . . Pseud. 305 eho an paenitet te, quanto hic fuerit usui? Rud. 578 eho an te paenitet (ni . . .). Trin. 320 is probus est quem paenitet quam probus sit. Truc. 533 paenitetne te quot ancillas alam? absolute accedit enuntiatum. Poen. 283 sq. paenitet / exornatae ut simus. Haut. 72 quantum hic operis fiat paenitet. personaliter usurpatum c. neutr. Cic. inv. 2, 43 utrum id facinus sit, quod paenitere fuerit necesse. accedit enuntiatum Bacch. 1182 me nil paenitet ut sim acceptus. Mil. 740 nihil me paenitet iam quanto sumptui fuerim tibi. c. subst. Stich. 51 et me quidem haec condicio nunc non paenitet (48—57 om. A, atque ad scaenam quae cantico substitueretur rettulit Ritschl). mere personaliter Pacuv. trag. 31 proloqui non paenitebunt liberi ingrato ex loco.

piget c. gen. Trin. 127 factum, neque facti piget. Andr. 877 num facti piget? c. gen. et. acc. Enn. scen. 60 mea mater, tui me miseret, mei piget. Ad. 391 sq. fratris me quidem / pudet pigetque. Turpil. com. 18 pudet pigetque mei me. Acc. trag. 471 dolet pudetque Graiium me et vero piget (Non. 424 gravium, corr. Fruterius). c. acc. Haut. 19 neque se pigere. accedit enuntiatum vel inf. Aul. 210 ne id te pigeat proloqui. Capt. 203 sq. pigeat postea / nostrum erum, si vos eximat vinculis. Persa 690 quin me id pigeat perdere. Pseud. 282 non dedisse istunc pudet, me quia non accepi piget. Rud. 634 ut te ne pigeat dare operam. Trin. 661 me piget parum pudere te. Pacuv. trag. 44 dolet pigetque magis magisque me conatum hoc nequiquam itiner. absolute Men. 1066 eloquere tuom mihi nomen, nisi piget. Persa 691 sq. hunc in collum, nisi piget. / impone. Poen. 1211 nisi piget, consistite. Trin. 345 pol pudere quam pigere praestat. accedit inf. Men. 1067 non edepol ita promeruisti de me, ut pigeat, quae velis (obsequi). Most. 415 quam ob rem pigeat vivere. Trin. 346 sq. bene si amico feceris / ne pigeat fecisse. Truc. 528 petere hau pigeat [me] mel meum. Pacuv. trag. 143 sqq. quid quod iam (ei mihi) / piget paternum nomen, maternum pudet / profari (Non. 424, 8 et mihi, corr. Umpfenbach). personaliter c. pron. neutr. Pseud. 281 nimio id quod pudet facilius fertur quam illud quod piget. Stich. 121 sq. ut cottidie / pridie caveat ne faciat quod pigeat postridie. Phorm. 554 quod nos post pigeat. Acc. trag. 103 hortari pudet, non prodesse, id piget (piget Aldina, pudet codd.). Trag. inc. 21 (Quintil. 9, 3, 77) Hecuba, hoc dolet pudet piget.

pudet c. gen. Haut. 576 apud alium ipsius facti pudet. Phorm. 525 sq. non pudet / vanitatis? Hec 793 perii, pudet Philumenae. Enn. scen. 59 sq. patris mei meum factum pudet, / optumi viri. c. gen. et acc. Asin. 933 tui me, uxor, pudet. Bacch. 379 neque mei neque te tui intus puditumst factis quae facis. 1016 quoius me nunc facti pudet. Trin. 431 miseret te aliorum, tui nec miseret nec pudet. 912 deum hercle me atque hominum pudet. Truc. 280 ut nancta es hominem quem pudeat probri! Haut. 260 quoius nunc pudet me et miseret. Phorm. 392 non te horum pudet? Ad. 391 sq. fratris me quidem pudet pigetque. 683 et me tui pudet. Turpil. com. 18 pudet pigetque mei me. Acc. trag. 471 dolet pudetque Graiium me et vero piget. Trag. inc. 123 sq. rite Thesprotum pudet / Atrei, quod ipse a Tantalo ducat genus (Atrei Buecheler, rei cod. Neap. Char. gramm. I 276) c. acc. Cas. 878 pudet quem prius non puditum umquamst. Epid. 166 homines quos cum nil refert pudet. Men. 730 non te pudet? Poen. 1305 ecquid te pudet. Pseud. 370 ecquid te pudet? Trin. 661 me piget parum pudere te. 1017 non pudet te? Andr. 871 ecquid te pudet? accedit enuntiatum vel inf. Asin. 71. neque puduit eum id aetatis sycophantias struere. Bacch. 1007 pudet prodire me ad te in conspectum, pater. 1155 a. pudet dicere me tibi quiddam. Capt. 203 nos pudet, quia cum catenis sumus. Men. 708 non te pudet prodire in conspectum meum? Mil. 623 eam pudet me tibi in senecta obicere sollicitudinem. Most. 1154 eum prodire pudet in conspectum tuom. Poen. 1301 non pudet puellam amplexari baiolum in media via? Pseud. 279 hunc pudet, quod tibi promisit. 282 non dedisse istunc pudet. Trin. 787 quamquam hoc me aetatis sycophantari pudet. Haut. 1042 sq. te id mullo modo / facere puduit. Ad. 690 si te mi ipsum puduit proloqui. Afran. com. 272 sq. me pudet, ubi mecum loquitur Numerius, / aliquid sufferre Graece. absolute Aul. 790 sq. nullust tam parvi preti, / quom pudeat, quin purget sese (quom Bothe, quin codd.). Bacch. 1089 perii, pudet. Capt. 961 sq. quod ego fatear, credin pudeat cum autumes? / # at ego faciam ut pudeat. Cas. 899 pudet hercle. 910 eloquere # at pudet. Epid. 168 quom usus est ut pudeat, Most. 1167 tamen etsi pudet? Rud. 1053 haud pudet. Trin. 345 pol pudere quam pigere praestat. Haut. 1044 quam pudet! Eun. 907 an quia pudet? Phorm. 233 non pudere! Ad. 274 pudebat # ah, stultitiast istaec, non pudor. accedit inf. Cas. 897 pudet dicere. Trin. 344 deserere illum et deiuvare in rebus advorsis pudet. 347 sq. bene si amico feceris / ne pigeat fecisse, ut potius

pudeat si non feceris. Haut. 1041 sq. pudet / dicere hac praesente verbum turpe. Ad. 562 non puduisse verberare hominem senem. Pacuv. trag. 143 sqq. quid? quod iam (ei mihi) / piget paternum nomen, maternum pudet / profari (cf. s. v. piget). Acc. trag. 103 hortari pudet, non prodesse id piget. personaliter ursurpatum c. neutr. Amph. frg. 17 nilne te pudet, sceleste, populi in conspectum ingredi? Asin. 933 nilne te pudet? Bacch. 483 neque pudere quicquam. 1156 quid est quod pudeat? Cas. 242 ecquid te pudet? # omnia quae tu vis. Epid. 107 idne pudet te, quia . . . Men. 642 quando nil pudet. Merc. 60 quod nisi puderet, ne luberet vivere. 905 nil, Charine, te quidem quicquam pudet. Mil. 624 siquidem te quicquam quod faxis pudet. Most. 1165 si hoc pudet, fecisse sumptum. Persa 424 nilne te pudet? Pseud. 281 nimio id quod pudet facilius fertur quam illud quod piget. Phorm. 644 ut nihil pudet! Ad. 84 sq. quem neque pudet; quicquam nec metuit quemquam. 244 pudet nil. Trag. inc. 21 Hecuba, hoc dolet pudet piget. c. neutr. plur. Ad. 754 non te haec pudent? c. subst. Caecil. com. 166 pudebat conmemoramentum stupri. mere personaliter Bacch. 1017 prius te cavisse ergo quam pudere aequom fuit. Cas. 877 ita nunc pudeo atque ita nunc paveo atque ita inridiculo sumus ambo. Andr. 637 nil pudent hic (pudet, corr. Bentley). Turpil. com. 104 ei perii! viden ut osculatur cariem? num hilum illaec pudet? (num illum codd. Non. 21, 28, corr. Mueller).

dispudet absolute Bacch. 481 alia memorare quae illum facere vidi dispudet. Most. 1165 sq. supplici habeo satis. / # dispudet.

subpudet c. gen. Lucil. 1171 facti subpudet ut di . . .

perpudescit absolute (c. abl.) Cornelia epist. frg. 2 ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda re publica?

taedet c gen. Cas. 142 abeo intro. taedet tui sermonis. Eun. 297 taedet cottidianarum harum formarum. Ad. 150 sq. credo iam omnium / taedebat. Caecil. com. 159 taedet mentionis. c. gen. et acc. Most. 316 ita me ibi male convivi sermonisque taesumst (tesunt, corr. Pareus). c. acc. Eun. 464 video et me taedet. absolute Poen. 349 segrega sermonem. taedet. Eun. 72 et taedet et amore ardeo. accedit inf. Phorm. 487 taedet iam audire eadem miliens. personaliter usurpatum esse testatur Cledon. gramm. V 58 taedeo in Plauti Casina legimus.

distaedet c. gen. et acc. Amph. 503 haud tui me neque domi distaedeat. absolute c. inf. Phorm. 1011 cum hoc ipso distaedet loqui.

pertaedet c. dat. Gracch. or. frg. Diom. gramm. I 311 sed et dativo dixerunt, ut Gracchus in L. Metellum 'usque adeo pertaesum vos mihi esse'. personaliter usurpatum Lucil. 963 sq. (Fest. 273 M) quo facetior videare, et scire plus quam ceteri, / pertisum hominem, non pertaesum dicere; ferum nam genus (hominum L. Mueller, Marx; humanum genus Marx, aerumnamst opus Lachmann).

pertaedescit absolute Cato agr. 156, 6 nolito multum dare, ne pertaedescat.

obtaedescit absolute Stich. 734 ohe, iam satis, nolo obtaedescat.

dolet c. gen. et acc. Acc. trag. 471 dolet pudetque Graiium me et vero piget. c. acc. et inf. Pacuv. trag. 44 dolet pigetque magis magisque me conatum hoc nequiquam itiner. c. neutr. Trag. inc. 21 hoc dolet pudet piget.

Iam ad explicanda transeamus verba 'miseret, pudet' rell., quae per totam latinitatem genetivi fuerunt tenacissima. Cuius casus rationem prope accedere ad genetivum cum verbis cupiendi compositum ideoque ad genetivum rei a principio verisimile est. Nam in utraque iunctura genetivo ea res significatur ad quam actio verbi attinet. At de structura impersonali qua haec verba tantum absunt a reliquis verbis quaestio oritur ceteris multo difficilior; quam hoc loco perpendere quaeso liceat, etsi fere transgredior fines argumenti in prooemio statutos.

Occurrunt in lingua latina haec genera verborum impersonalium: primum verba quae ad rerum naturam pertinent qualia 'fulget, tonat', deinde verba quae in universum ad hominum mores pertinent velut 'libet, decet, pudet', tum talia qualia 'accidit, fallit, praestat', denique verba passivo genere usurpata velut 'concurritur'.

Quae genera iam ab ultimo quod quidem nos sciamus initio in lingua latina erant usitata, neque

ullum ex eis ceteris esse antiquius certis argumentis ex ipsa latinitate petitis probare possumus. Itaque res ad triarios redit, linguas dico indogermanicas; sed in hac quaestione enodanda ne triarii quoque nos desint summopere vereor. Attamen rem propositam aggrediamur duce usi Delbrückio[1]), quem accuratius ipsis latine doctis quaestionem proposuisse duco non expedivisse, nempe quia de hac re sententia plane certa ferri vix potest.

Primum impersonalium genus in omnibus dialectis indogermanicis est obvium, sed in plerisque insuper adest structura personalis velut gr. *Ζεὺς ὕει*, lat. 'Iove fulgente'; itaque rursus quaerendum est personalisne usus sit prior an impersonalis. At haec quaestio e testimoniis quae dialecti singulae praebent adhuc non est diiudicata. Simile quiddam in tertium genus cadit, quod in alia lingua alio modo est excultum; quartum autem genus, scil. passivum impersonaliter usurpatum non esse antiquum iam inde sequitur, quod linguas indogermanicas sero admodum genus passivum formasse verisimile est[2]).

Itaque restant impersonalia velut 'decet, libet, miseret', quae suo genere singularia fere sunt; etenim in reliquis dialectis pauca verba similiter usurpata occurrunt. Delbrück putat in hoc genere priorem fuisse structuram personalem quae postea inversa sit in impersonalem, ita ut 'pudeo' (scil. servatum verbo 'paveo' iuxta posito Cas. 877) detortum sit in 'pudet me'.

Perlustremus ea quae vir doctus affert ad hanc sententiam stabiliendam. Quod ad formam attineat,

1) Vgl. Synt. 3, Strassburg 1900, 23—37, imprimis 30 sq.
2) cf. Brugmann, Kurze vgl. Gram. 601.

illa verba a nominibus quorum stirps exeat in idg. ŏ/ĕ derivata esse affixa terminatione -i̯ŏ-, ita ut efficiatur exitus -ĕ-i̯ō, gr. -έω, lat. -eo, velut 'albeo' a voce 'albus' sim.[1]); itaque etiam 'misereo, pudeo' rell. ab initio notione neutrali fuisse praedita verisimile esse, quamquam etyma eorum adhuc fere ignoremus[2]). 'Pudeo' igitur significavisse 'pudore plenus sum' (cf. adi. 'pudens, impudens'), quam structuram inversam esse in 'pudet me'[3]). Accusativum, ubi desit, e contextu verborum supplendum esse, e. g. 'perii, pudet' Bacch. 1090. Rem quae causa fuerit pudoris aut casu nominativo subiecti loco positam esse aut genetivo. Apud Plautum neutra tantum pronominum atque particulam nihil pro subiecto usurpari, substantivum quale 'commemoramentum stupri pudet' apud Caecilium demum legi, nullo loco personarum nomina. E versu Stich. 51 'et me quidem haec condicio nunc non paenitet' sequi Romanos neutra pronominum pro nominativis non pro accusativis esse interpretatos[4]). Quod 'miseret, miseretur' et persona-

---

1) cf. Stolz, Hist. Gram. d. lat. Spr. 1, 1894, 608 sq. Sommer, Hdb. d. lat. Laut- u. Forml. $^{2.3}$1914, 498.

2) cf. Walde, Lat. etymol. Wb.^{2} s. sing. vv.

3) Quomodo Delbrück constructionem tam subito mutatam esse senserit, apparet ex his verbis (l. l. 30): zuerst war der Satz subjektisch, dann aber empfand man das Bedürfnis, deutlicher zum Ausdruck zu bringen, dass das Subjekt nicht handelnd ist, sondern von einer übermächtigen Empfindung (Scham, Müdigkeit) betroffen und bewältigt wird. Es rückte daher in die Stellung des Objekts ein, und das Verbum wurde subjektlos, was natürlich war, da es sich ja nicht um einen irgendwie fassbaren Agens handelt.

4) Ipse sibi contradicit Kühner, Ausf. lat. Gram. I, 1877, 540 adn. (quam adn. integram recepit Holzweissig in ed. alt. 1912, 832 cf. etiam II 1^{2} 279. 470, 14): Wenn aber bei

liter et impersonaliter usurpentur, ita esse explicandum: 'misereo' primum significavisse 'miser sum' 'ich fühle mich elend'; 'misereor' medium fuisse non passivum. Genetivi rationem non aequari posse rationi illius genitivi qui verbis affectuum apponatur in linguis graeca germ. lit. slav. Talem enim genetivum non obvium esse in lingua latina; nam utrum ille genetivus cum verbis studendi coniunctus primitus genetivus fuerit an potius ablativus, prorsus incertum esse; deinde genetivum verbo 'misereor' additum primum apud verbum impersonale nasci atque inde ad verbum personale transferri potuisse. Denique cur tot nominativi exempla extent praeter genetivi exempla esse quaerendum. Immo illis assentiendum esse qui censeant genetivum structura impersonali esse effectum, quia animis loquentium obversata sit verborum iunctura qualis 'misericordia tui'. Fortasse genetivum ibi primum esse usurpatum, ubi de personis sit actum. Recte enim intellegi potuisse 'id me pudet', sed 'ille me pudet' 'tu me pudes' habuisse aliquid offensionis, quippe quibus uter pudore afficeretur non esset significatum.

Contra moneam argumenta, quibus Delbrück probat structuram personalem fuisse priorem, admodum esse incerta. Primum quod ad usum personalem attinet, equidem accurate distinguendum censeo

---

Cicero und anderen Späteren das Neutrum 'quod' mit diesen Verben verbunden wird, so muss es als Akkusativ aufgefasst werden, weil bei diesen Schriftstellern nirgends res aliqua me pudet vorkommt, wohl aber auch sonst das Neutr. der Pronomen mit Verben jeder Konstruktion verbunden wird. . . . Aber Cic. Tusc. 5, 18, 53 sequitur, ut nihil paeniteat, nihil desit, nihil obstet ist wegen der Ebenmässigkeit der Glieder 'nihil' ohne Zweifel als Nominativ und 'paenitet' persönlich aufzufasssen.

inter personalem et mere personalem quem dico usum, i. e. inter locos quibus causa affectus et locos quibus persona, quae affectu commovetur, pro subiecto ponitur, e. g. 'id piget' et 'paenitebunt liberi'. Exempla usus mere personalis admodum rara sunt praeter verba miserendi, quae ad analogiam verborum transitivorum 'misero, commisero' structuram personalem perfacile assumere potuerunt. Quibus exceptis haec exempla usus mere personalis extant in prisca latinitate: Pacuv. trag. 31 proloqui non paenitebunt liberi. Cas. 877 ita nunc pudeo atque ita nunc paveo. Andr. 637 nil pudent hic, ... ibi verentur. (incerta sunt exempla haec: Turpil. com. 104 num hilum illaec pudet? 'taedeo' Cas. teste Cledonio. 'pertisum' Lucil. 963 sec. cod. Fest. 273.) Exempla quae substantiva subiecti loco posita praebent cum sint paucissima, equidem structuris velut 'id piget' sim. effecta esse censeo. Habes enim haec: Stich. 51 me quidem haec condicio nunc non paenitet (48—57 om. A; ad scaenam quae cantico substitueretur rettulit Ritschl). Caecil. com. 166 pudebat commemoramentum stupri. Ad. 754 non te haec pudent (solum exemplum neutr. pron. numero plurali usurpati).

Tales iuncturas, in quibus neutra pronominum pro subiecto ponuntur, ex usu impersonali nasci posse facile comprehendimus, cum videmus similem mutationem factam esse in linguis germanicis, ubi particula 'es' subiecti loco ('als Scheinsubjekt') praeposita est impersonalibus atque paulatim irrepsit in iuncturas ad quas minime pertinuit[1]).

1) cf. Grimm, Deutsche Gram. 4, Gött. 1837, 223 sqq. Wilmanns, Deutsche Gram. III 2, 1909, 463 sqq.

Ut paucis rem absolvam, ego potius sumam structuram personalem ortam esse ex impersonali quam ordine inverso constructionem impersonalem e personali. Cui Delbrückii sententiae suo iure opposuit van Wijk[1]) sumamus oportere etiam in dialectis ind. germ. slav. miram illam inversionem factam esse, licet contrarium, ut supra ostendi, multo facilius evenire potuerit. Deinde quod Delbrück iis assentitur qui putant genetivum appositum esse his verbis, quia animis loquentium obversabatur iunctura nominalis velut 'misericordia tui'[2]), mihi quidem haec explicatio aliqua ex parte videtur claudicare. Nam si nomina illa eodem vel priore tempore quo verba extitissent, omnia in similem formam redacta esse verisimile esset, sed variorum suffixorum eorumque quae ex parte novicia aetate in usum venerunt ope sunt formata. Sunt enim haec: misericordia, miseratio (a. v. 'misero'), miseritudo (Acc. trag. 79. 185. 187); paenitentia (primum Liv. 31, 32, 2), paenitudo (Pacuv. trag. 313); pigritia, pigror (Lucil. 391, an a. v. 'pigreo'?); pudor; taedium.

Tum aliquid momenti tribuam ei quoque rei quod accusativus personae omittitur, unde colligo loquentes naturam impersonalem verborum sensisse; praeterea talibus locis de inversa illa structura cogitari nequit. Multi enim huiusmodi loci extant, quorum numerum inspicias quaeso in hac tabula:

1) Der nominale Genetiv Singular im Indogermanischen in seinem Verhältnis zum Nominativ, Zwolle 1902, 94 sq.

2) 'Misericordiam capio' legitur Cic. Quinct. 97, sed genetivus hic pendet e 'rationem habere': obsecravit (Naevium) ut aliquando misericordiam caperet aliquam, si non propinquitatis, at aetatatis suae, si non hominis, at humanitatis rationem haberet.

numeri quibus crux est proposita sunt locorum quibus accedit enuntiatum vel infinitivus.

verbum	impersonaliter usurpatum				personaliter usurpatum		
	c. gen.	c. g. et. a.	c. acc.	absolute	c. neutr.	c. subst.	mere p.
miseret	3 (2?)	28	1	2	1	—	3
miseretur	8	3	—	—	—	—	6
miserescit	—	2	—	—	1	—	—
commiserescit	—	3	—	—	1	—	3
misero	—	—	—	—	—	—	2
miseror	—	—	—	—	—	—	5
commisero	—	—	—	—	—	—	4
paenitet	4	5	1+7	0+2	1+2	1	1
piget	2	4	1+7	4+5	5+1	—	—
pudet	4	13	8+14	14+7	18	1	4
dispudet	—	—	—	1+1	—	—	—
subpudet	1	—	—	—	—	—	—
perpudescit	—	—	—	1	—	—	—
taedet	4	1	1	2+1	—	—	1
distaedet	—	1	—	0+1	—	—	—
pertaedet	—	—	1?	—	—	—	1
pertaedescit	—	—	—	1	—	—	—
obtaedescit	—	—	—	1	—	—	—

Quibus de Delbrückii explicatione expositis, quae ut prorsus evertatur gravioribus opus esse argumentis haud ignoro, liceat mihi proponere interpretationem coniectura partam.

Incipiam necesse est a natura verborum impersonalium, in quam et grammatici et philosophi qui artem logicam profitentur saepissime inquisiverunt[1]). Tamen philosophi quaestioni solvendae paene nocuerunt, quippe qui his enuntiatis tamquam schemati logico subiectum inesse contenderent atque linguarum historiae parum haberent rationem.

1) Commentaria enumeraverunt F. Miklosich, Subjektlose Sätze², Wien 1883; Th. Siebs, Zs. f. vgl. Sprf. 43, 1910, 253 adn.

Re vera verba impersonalia iam ab antiquissimis temporibus subiecto carebant, in multis autem linguis accidit, ut subiectum adderetur sive 'deus' verbis 'pluit, tonat' sive neutrum pron., quod in vernaculo sermone evenisse scimus. Silentio praeteream permultos illos explicandi conatus a viris doctis in medium prolatos uno excepto. Siebs[1]) enim argumentis quae hoc loco repetere longum est confirmavit formas * pleu̯eti sim. principio nil aliud fuisse nisi substantiva verbalia. Non est quod miremur, etenim magis magisque irrepere videtur opinio verbum finitum ex aliqua parte ortum esse e substantivis verbalibus[2]), cuius rei multae barbarorum linguae praebeant testimonia. Nescio an habeamus hoc in usu vestigium consuetudinis pervetustae, quam in his verbis servatam esse commode percipere possumus, cum fingimus exclamantem quempiam 'en imber' pro 'pluit'. Id solum igitur his formis significabatur opinor, quod accidit vel ante oculos spectantium evenit[3]); quae cum in verbi finiti systema essent receptae, quod subiectum assumpserint illius exemplo usae non mirum est. Simili quodam modo apud Plautum substantiva verbalia in -io exeuntia cum verbo 'esse' atque cum accusativo coniunguntur velut Asin. 920 quid tibi hunc receptio ad te est meum virum?[4])

Licet prorsus vera sit haec interpretatio, tamen maxima restat difficultas. Namque nescimus, quomodo

1) l. p. antecedente adn. 1 laudato 262 sqq.

2) similem viam ingressus est Hirt, Idg. Forsch. 17, 1905, 36 sqq. cf. Stolz, Lat. Laut. u. Forml.⁴ 1910, 247 Vorbemerkung 2.

3) Similiter infinitivum historicum qui vocatur interpretatus est Kretschmer, Glotta 2, 1910, 280; quocum dissentit G. Ramain, Observations sur l'emploi de l'infinitif historique, Revue de philologie 38, 1914, 25.

4) cf. Holtze, Syntaxis priscorum scriptorum I, Lipsiae 1861, 279.

cohaereant verba 'pudet, miseret' cum verbis 'pluit' sim., quoniam in dialectis indogermanicis non occurrunt verba, quae ex omni parte respondeant latinis. Nil restat quam ut coniectura hunc hiatum expleamus.

Censeam impersonalia 'miseret, pudet' rell. primo significavisse 'misericordia, pudor est'[1]) — quibus de iuncturis hoc unum moneo, ne pro substantivis quae nunc sunt intellegantur, immo nil nisi affectum universum declarabant — deinde accessisse genetivum, qui quominus fuerit propinquus et genetivo rei et genetivo qui in aliis dialectis indogermanicis invenitur cum verbis affectuum coniunctus, nil obstare mihi videtur. Porro accusativum ascitum esse, ut persona significaretur, sive quia sensus transitivus subiciebatur illis verbis, sive — quod mihi praestare videtur — quia accusativo ipso significabatur obiectum in quod affectus incideret[2]), velut in lingua gothica invenimus 'mik ist kara' *μέλει μοι* Joh. 12, 6[3]). Alia ratio valuit

1) Velut 'lubido est' a Plauto eodem modo atque 'lubet' usurpatur, cf. Epid. 240. Men. 83. Pseud. 552. Trin. 626 (ubi Brix similes composuit locos).

2) Genetivum cum verbis impersonalibus coniunctum e prisco casu 'activo' accusativum e 'passivo' ortum esse censet van Wijk l. supra p. 69 l. 95; qua coniectura non opus esse duco ad usum de quo agimus explicandum.

3) Qua cum sententia feliciter congruunt ea quae disserit Wilmanns de his verbis Deutsche Gram. 3, 2, 536: . . . einige altertümliche Verbindungen, die als subjektlose Sätze anzusehen sind, obschon sie einen Nominativ enthalten: g. mik ist kara, ahd. mih ist wundar, niot me delectat, firiwizzi me curiositas movet, ôd mir ist leicht. Schon im Mhd. hat sich nur noch mich ist wunder erhalten. Vermutlich ist in diese Verbindungen das Verbum 'sein' als Kopula erst eingetreten, als das Bewusstsein von dem grammatischen Wert der Bestandteile schon erloschen war; sonst sollte man eher mik habaiþ kara erwarten.

in verbis 'licet, lubet' struendis, quibus dativus sympatheticus apte est adiunctus.

Quo tempore constructio mere personalis quam vocavi orta sit nescio, sed potius sumam illam e verbo impersonali manavisse, antequam personae accusativus adderetur, licet etiam sermoni populari talem structurae mutationem tribuere possimus. Quod superest, iam exposui: subiecti loco primum addita esse neutra pronominum denique substantiva. Qua ex re planum fit, cur nullo loco legamus velut 'ille taedet me'; ratio enim permansit rerum tantum nomina esse apta quae subiecti loco ponerentur.

'Misereri' utrum passivum sit an deponens ambigitur; inde quod accusativus deest nihil certi sequi puto; nihil enim obstat quominus locos illos (supra p 59) cum iis comparemus quibus 'paenitet' sim. sine accusativo personae sunt posita. Itaque iis[1]) assentiri non possum, qui 'misereri' passivum esse ducunt, cui postea additus sit accusativus personae scil. ad. exemplum verbi impersonalis 'miseret'. De passivo cogitari liceret, si subiectum esset additum casu nominativo; praeterea cf. deponens 'miserari'.

Cornelia epist. frg. 2 ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda re publica? 're publica' pro ablativo sumendum esse probatur Bacch. 379 neque mei neque te tui intus puditumst factis quae facis, quocum confert Ussing Prop. 4, 4, 36 et valeat probro Vesta pudenda meo.

Lucili locum (963) sane ingeniose a Marxio emendatum proponere malui secundum Festi lectionem; nam constructionem personalem, quippe quae rarius occurrat, mutare non ausus sum.

1) cf. Neue-Wagener, Formenlehre der lat. Spr. [3] 3, 650.

Nihil autem certi affirmem de loco a Diomede e Gracchi in Metellum oratione laudato 'usque adeo pertaesum vos mihi esse'. Nam cui contextui fuerit insertus omnino nescimus. Temptem vulgari structura usus locum sic reddere 'usque adeo me vestri pertaedebat'; dativus similiter usurpatur cum voce 'dolet', 'vos' pro accusativo habendum sit, sed singularis esset hic usus. An corruptus est locus atque sic emendandus 'usque adeo pertaesum vos mei (vel 'vostri me') esse'?

Verbum dolendi impersonaliter cum genetivo usurpatur uno loco, quo analogiam verborum vicinorum 'pudet, piget' valuisse par est opinio.

Caput tertium.

De genetivis qualitatis, pretii, tituli.

I. De genetivis qualitatis et pretii.

facere quanti. Amph. 508 quanti facias uxorem tuam. Lucil. 1089 quanti vos faciant. Cic. S. Rosc. 115 voluntatem decurionum ac municipum omnium tantidem quanti fidem suam fecit. tanti Merc. 6 sq. quos pol ego credo humanas querimonias / non tanti facere. tantidem cf. Cic. S. Rosc. 115 s. v. quanti. magni Asin. 114 te quoque ipsum facio haud magni. 214 neque quid velim neque nolim facitis magni. 407 neminem meum dictum magni facere. Cist. 22 quia me colitis et magni facitis. Pseud. 578 ut eas magni facias. 944 te amo et metuo et magni facio. Hec. 260 quem ego intellexi illam haud minus quam se ipsum magni facere. (A^2 BCPD^2 F^2: magnificare A^1 rell.) Ad. 879 ego quoque a meis me amari et magni fieri postulo (fieri A^1, pendi rell. A corr. rec.). Turpil. com. 169 meritissimo te magni facio. Lucil. 1336 hos magni facere (Lactant. instit. 6, 5, 2 m. f. S, magis f. R magnificare rell.). multi Rud. 381 ut multi fecit ita probe curavit Plesidippus. Cato or. frg. 8, 3 (Fest. 153 M. Lemma [Paul.] multifacere dicitur sicut magnifacere et parvifacere) ⟨neque fidem, neque iusiurandum⟩ neque pud⟨icitiam multifacit⟩ (serv. Paul.). parvi Aul.

111 sq. non est veri simile hominem pauperem / pauxillum parvi facere quin nummum petat. Mil. 1351 parvi ego illos facio. Rud. 697 qui tuom fecerunt fanum parvi. Titin. com. 96 sq. bona bonorum gratia / parvi ut faciatur. Pompon. Atell. 152 ego rumorem parvi facio. plurimi Cic. S. Rosc. 47 liberos, quos plurimi faciunt. maxumi Cas. 2 fidem qui facitis maxumi. Andr. 293 haec te solum semper fecit maxumi. 574 merito te semper maxumi feci. minimi (Cist. 461 suppl. Schoell: eos ⟨ni m⟩inum⟨e am⟩et mi⟨numique fe⟩cerit). Pseud. 269 eos minimi facit. nihili Bacch. 89 equidem pol nihili facio nisi causa tua. Capt. 616 nihili facio, tamen adibo. 986 cuius nihili sit faciunda gratia. Cas. 605 quin nihili facio. 802 at ego hercle nihili facio. Curc. 155 nihili meam vos gratiam facere. 218 qui me nihili faciat. Merc. 440 nihili facio. Mil. 168 nihili facio, quid illis faciat ceteris (nihil A)[1]). Persa 224 nihili facio scire. Pseud. 1086 qui nihili faciat (loco interpolato, nihil P, A deest, corr. Camerarius). 1103 nequam est homo qui nihili eri imperium sui servos facit (nihil P). Stich. 634 viden ridiculos nihili fieri. Trin. 1032 nunc mores nihili faciunt quod licet (nihil corr. Scaliger). Ad. 167 hoc nihili facis? flocci Cas. 332 tu istos minutos cave deos flocci feceris. Curc. 713 non ego te flocci facio. Epid. 348 meum tergum flocci facio. Men. 423 neque ego illum maneo, neque flocci facio. 994 cave quisquam, quod illic minitetur, vostrum flocci fecerit. Most. 808 cave tu ullam flocci faxis mulierem. Rud. 47 flocci non fecit fidem. 782 ego quae tu loquere flocci non facio. 795 minacias ego flocci non faciam tuas. Stich. 285 cave quemquam flocci feceris. Trin. 210 sq. falson an vero laudent, culpent quem velint, / non flocci faciunt. 918 neque adeo edepol flocci facio. 992 si te flocci facio. Truc. 606 non ego te flocci facio. 769 quae te non flocci facit. Eun. 303 qui illum flocci fecerim. Titin. com. 137 flocci fiet. Cato or. frg. 8, 2 J (Fest. 193 M) rumorem famam flocci fecit. Iuvent. com. 5 sq. pallium / non facio flocci ut splendeat. terrunci. Capt. 477 neque ridiculos iam terrunci faciunt. pluris. Naev. com. 9 sq. ego semper pluris feci / potioremque habui libertatem multo quam pecuniam. Curc. 579 sq. tuas magnas minas / non pluris facio quam ancillam meam

---

1) nihil def. Schmalz, BphW 35, 1915, 561 sq., cf. infra s. v. pendere, haud quidem iure, potius i librariorum neglegentia omissum arbitror.

quae latrinam lavat. Trin. 34 sq. nimioque hic pluris pauciorum gratiam / faciunt pars hominum quam id quod prosint pluribus. minoris. Epid. 522 me minoris facio. 661 minoris multo facio quam dudum senes. Most. 1146 iam minoris (omnia alia fa)cio. Cic. S. Rosc. 46 videtur . . . Caecilianus minoris facere Eutychum? hettae. Paul. Fest. 99 M. non hettae te facio. huius. Ad. 162 tu quod te posterius purges hanc iniuriam mihi nolle / factam esse, huius non faciam.

pendere quanti Truc. 398 sese experturum quanti sese penderem. Haut. 155 tu illum numquam ostendisti quanti penderes. magni Asin. 460 non magni pendo. Curc. 262 sq. neque eum ad me adire neque me magni pendere / visumst. Pseud. 221 tu oleum hau magni pendis. Stich. 135 mendicos homines magni penditis? (versum uncis inclusit Leo). Ad. 879 cf. s. v. magni fieri. parvi Bacch. 558 nequam hominis ego parvi pendo gratiam. Rud. 650 quis istic est qui deos tam parvi pendit? Trin. 102 hostisne an cives comedis, parvi pendere. Plaut. frg. inc. 19 (Paul. Fest. 228 M.) sacrum an profanum habeas, parvi penditur. Andr. 526 sed parvi pendo. Haut. 715 tu fors quid me fiat parvi pendis. Hec. 513 quae dico parvi pendunt. plurimi Bacch. 207 immo unice unum plurimi pendit. nihili Men. 993 nisi quidem vos vostra crura aut latera nihili penditis (nihil B). Most. 245 video te nihili pendere prae Philolache omnes homines. Poen. 520 nos te nihili pendimus. 1300 ego me sensi nihili pendier. Trin. 607 me nihili pendere (nihil corr. Camerarius). Eun. 94 aut ego istuc abs te factum nihili penderem. Ad. 452 pater eius nihili pendit. flocci Plaut. frg. inc. p. 553 Leo (Fulgentius de abstr. serm. 565) flocci pendo, quid rerum geras. Eun. 411 ego non flocci pendere. (mali) Truc. 539 sq. etiam num mali pendit addit purpuram. Arabia tibi / attuli tus (locus corruptus, cui variis modis mederi studuerunt vv. docti: etiam nihili pendit Itali, addit del Goeller, etiam nummuli non pendit pallam coni. Leo, etiam nihili pendit addi purpuram Lindsay. malli Schoell [i. e. flocci, sed locus quem confert Cato agr. 157, 15 dubius !]). minoris Most. 215 ut illum minoris pendam. 883 minoris pendo tergum illorum quam meum.

aestimare quanti. Lex repetund. CIL 1, 198, 7 quanti eius rei slis ae(stumata erit). parvi Capt. 682 dum ne ob male facta, peream, parvi aestumo. Trag. inc. 180 quid autem eum accuses qui id parvi auditum aestimet? Cic. inv. 1, 83 (post frg. trag. 180 allatum) non enim parvi auditum aestimabit

(estimabunt P¹ V, estimat S). flocci Plaut. frg inc. 14 neque muneralem legem neque lenoniam / rogata fuerit necne flocci aestimo. (simpli, dupli Lex repetund. CIL 1, 198, 59 (aestumare . . .) . . eas res omnes simpli, ceteras res omnis, quod . . . dupli).

existimare flocci Most. 76 satin abiit neque quod dixi flocci existumat? pluris Persa 353 neque ego inimicitias omnes pluris existimo (aestimo Pylades, sed 'pluris existimo' coalescit: Leo, plure Charisii 109. 211 huc rettulit Seyffert). habere tanti Lucil. 1120 tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis. quoius modi Persa 648 quoius modi is (suo) in populo habitust? (quius A quovis C D quo lus B). c. prp. pro Caecil. com. 249 tantam rem dibalare ut pro nilo habuerit. (ducere nauci Naev. com. 105 (Fest. 166 M.) eius noctem nauco ducere. nauci Bothe). invenire alius modi Fannius hist. 1 (Prisc. gramm. III 8) multa . . post (mala) inventa et multa amplius alius modi atque ante visa essent.

esse quanti Bacch. 821 tantist quantist fungus putidus. 1135 exsolvere quanti fuere. Capt. 51 homunculi quanti sunt. 145 expertus quanti fuerit. Merc. 267 videte ceterum quanti siem. Rud. 154 homunculi quanti estis. Eun. 791 quantist sapere! Ad. 977 a me argentum quantist sumito. tanti cf Bacch. 821 s. v. quanti tantidem Merc. 314 sq. decrepitus senex / tantidemst quasi sit signum pictum in pariete. parvi Persa 690 nil mihi tam parvist. (maxumi Trin. 813 sq. tum, quod maxumumst, / adferre, non petere hinc se dicet. maxumist codd., corr. Merula, retinet Lindsay, sed cf. Brix ⁴1888, 141 et Persa 595 quantum est adhibere hominem amicum). nauci Most. 1041 sq. qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit / atque equidem quid id esse dicam verbum nauci, nescio. Paras. pig. frg. 3 postremo ambo sumus non nauci. Enn. scen. 423 (Fest. 166 M) illic est nugator, nihili non nauci (est) homo (illuc F, corr. Ursinus; nihil F def. Schmalz, corr. Ursinus; est add. Vahlen). nihili Plaut. Asin. 203 vetus est: 'nihili coactiost' — scis cuius. non dico amplius (Leoni scribendum videtur 'nihilist emptio' cf. Epid. 51. 295). Bacch. 91 sumne autem nihili? 1157 nihili sum # istuc iam pridem scio. sed qui nihili es? id memora (nihil B; qui Guyet; quid; nihili's id Becker: nihili sit B nihile sit C D). 1161 sq. haud mala est mulier. / # pol vero ista mala et tu nihili. 1207 hi senes nisi fuissent nihili. Cas. 119 improbus nihilique eris (nihilque P, sis A P, corr. Leo). Cist. 238 sum nihili. # nihili

hercle vero es. Men. 972 qui nihili sunt. Most. 156 postquam nihili sum. Persa 94 nihili sunt crudae (nihil corr. Pius). 96 nihilist macrum illud epicrocum pellucidum (nihil est, corr. Scaliger). 120 nihili parasitus est (nihil B). 179 certe is quidem nihilist (nihili est A nihil est P). Pseud. 239 sine sim nihili. 1104 nihilist autem suom qui officium facere immemor est (nihil est, corr. Merula). Rud. 920 nimis homo nihilist quis piger est. Stich. 189 nihili quidem hercle verbumst. Truc. 553 nequit quin nihili sit? Titin. com. 157 quamquam estis nihili.

preti esse quantivis. Persa 625 nomen atque omen quantivis iam est preti. Andr. 856 videtur esse quantivis preti. parvi. Aul. 790 nullust tam parvi preti. Trin. 256 ubi qui eget, quam preti sit parvi. Hec. 799 ne meam erus esse operam deputat parvi preti. minimi. Epid. 501 sq. fateor me omnium / hominum esse Athenis Atticis minimi preti. pluris. Bacch. 630 sq. mortuos pluris pretist / quam ego sum.

modi esse cuius. Men. 221 cuius modi hi homines erunt? Cato orig. 128 P. Rhet. Her. 1, 13, 23. 3, 7, 14 bis. 3, 16, 28. 4 3, 5. 11, 16. 26, 35. 44, 56. 50, 63. Cic. inv. 1, 12 27. 2, 173. quoivis Bacch. 400 sisne necne ut esse oportet, malus, bonus quoivis modi (qua cuius corr. Luchs). cuicui. Cic. inv. 2, 134 legem, cuicuimodi sit (c. Lambinus, cuiusce modi cum libris Ernesti). S. Rosc. 95 vereor enim, cuicuimodi es, T. Rosci, ne eqs. (Prisc. gramm. III 7, quiquimodi codd.). cf. Neue-Wagener, Formenlehre d. lat. Spr. [3] 2, 513. huius. Phorm. 529 nam hic me huius modi scibat esse. Rhet. Her. 1 12, 21. 13, 23. 15, 25. 2 26, 40. 26, 41. 3 4, 7. 6, 10. 4 16, 23. 22, 30 bis. 45, 58 bis. 48, 61. Cic. inv. 1, 18. 46 bis. 63. 65. 68. 73. 91. 2, 59. 62. 69. 72. 78. 91. istius. Trin. 552 qui quidem istius sit modi. Haut. 387 et vos esse istius modi et nos non esse haud mirabilest. Cato or. frg. 20, 1 J pecunia mea rei publicae profuit quam isti modi uti tu es? Acc. trag. 136 quanto magis te istius modi esse intellego. Rhet. Her. 4, 31, 42. illi Cato or. frg. 40, 8 ecquis illi modi esse vult? eius Mil. 801 ille eiusmodi est. Rhet. Her. 1, 7, 11 bis. 3, 2, 2. 3, 3, 6. 4 11, 16. 26, 36. 51, 64. Cic. inv. 1, 19. 27. 53. 57. 79 bis. 83. 86 bis. 2, 58. 60. 82. 113. 119. 130. Quinct. 84. S. Rosc. 80. 86. 89. 104. unius. Haut. 204 sq. parentum iniuriae / unius modi sunt ferme. alius. Cato or. frg. 21 J. uti eos (mores) mutem atque alii modi sim. Cael. hist. 3 (Prisc. gramm. III 8) eos

alii modi esse atque Amilcar dixit. Cic. inv. 2, 21 res aliusmodi est, bis. (aliomodo C).

ingeni. Most 814 bene monitum duco, atque esse existumo humani ingeni (humano B[2] ingenio codd. folium in A periit). de abl. cf. Bennett II 323

consili. Andr. 608 quandoquidem tam iners, tam nulli consili sum.

instrumenti. Cato agr. 1, 5 instrumenti ne magni siet. ibid. videto, quam minimi instrumenti sumptuosusque ager ne siet.

pluris. Asin. 435 neque eo esse servom in aedibus eri qui sit pluris quam illest. Merc. 514 oratio edepol pluris est huius quam quanti haec emptast. Truc. 489 pluris est oculatus testis unus quam auriti decem.

minoris. Crass. or. frg. Val. Max. 9, 1, 4 quanto ergo eam (domum) minoris fore existumas? (minore CFA[1]).

oneris. Most. 781 sq. habeo homines clitellarios. / magni sunt oneris, quidquid imponas vehunt.

generis. Merc. 525 generis graecist. abl. Persa 651. Trin. 851. 326.

cluere cuiusmodi Men. 576 sq. res magis quaeritur quam clientum fides / cuius modi clueat.

---

emere quanti Epid. 51 sq. quanti eam emit? # vili # haud istuc te rogo. / # quid igitur? # quot minis # tot: quadraginta minis. 295 quanti emi potest minimo? Merc. 221 rogitabit unde illam emeris, quanti emeris. 490 tanti quanti poscit, vin tanti illam emi? 514 oratio edepol pluris est huius quam quanti haec emptast. Most. 822 quanti hosce emeras? Poen. 896 sq. quia illas emit in Anactorio parvolas / de praedone Siculo # quanti? # duodeviginti minis. Pseud. 1170 quanti te emit? Rud. 1405 quanti illam emisti tuam alteram mulierculam? Eun. 984 emit? perii hercle. quanti? # viginti minis. Ad. 249 meum mihi reddatur saltem quanti emptast. Cato or. frg. 18, 1 J. (Char. gramm. I 128) o quanti ille agros emit. agr. 146, 1 qui oleam emerit, amplius quam quanti emerit omnis pecuniae centesima accedet. tanti Merc. 490 cf. s. v. quanti. tantidem Ad. 200 tantidem emptam postulat sibi tradier. Cato agr. 22, 4 tantidem Pompeis emitur.

redimere quanti Eun. 74 sq. nisi ut te redimas captum quam queas / minumo; si nequeas paululo, at quanti queas.

vendere minoris Merc. 424 sq. ne minoris vendas quam ego emi, pater. hoc loco incertum est, quid nam verbum sit supplendum, fortasse 'venum it': pluris Lucil. 499 sq. praeter quam in pretio: primus semisse, secundus / nummo, tertius iam pluris quam totus medimnus (Non. 213, 23 seminisse L, seminis F³ B^A pluris Iunius, plures codd., plurest Mueller).

conducere quanti Pseud. 1184 chlamydem hanc commemora quanti conductast. Cato agr. 144, 3 si non praebuerit, quanti conductum erit aut locatum erit, deducetur.

destinare quanti Most. 643 eas quanti destinat?

indicare quanti Persa 575 uti sciam, quanti indicet. tanti Persa 661 qui datur, tanti indica.

dedicare quanti Scip. min. or. frg. Gell. 6, 11, 9 si tu in uno scorto maiorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti.

censere quanti Rud. 1272 dic ergo quanti censes? (cf. Ussing ad l.) Lex repetund. CIL 1, 198, 57 quanti eis censuer(int).

velle quanti Lucil. 711 quanti vellet. Lex Furfensis (CIL I ¹603 ²756) 14 sq. aedilis multatio esto quanti volet.

dare tanti Ad. 203 ubi me dixero dare tanti.

poscere quanti Merc. 490 tanti quanti poscit, vin tanti illam emi. c. abl. Stich. 222 qui cena poscit? ecqui poscit prandio?

addicere quanti Nov. Atell. 115 quanti addictust? # mille nummum.

liberare quanti Most. 971 sqq. qui... hic tibicinam / liberavit # . . . quanti? # triginta # talentis? # μὰ τὸν Ἀπόλλω, sed minis.

docere quanti Pseud. 874 sq. quanti istuc unum me + coquinare perdoces? (perdoces P, subdoces A; fort. coquinae rei doces Leo, coquinae i. e. 'artis coquorum' Löfstedt Glotta 3, 1912, 191 cf. Thes. 4, 925, 12 et Don. Ter. Andr. 30).

subigere minoris Pseud. 808 sq. me nemo potest / minoris quisquam nummo ut surgam subigere.

de verbis iudicialibus cf. supra cap. I 1.

refert quanti Pseud. 1085 quanti refert ei nec recte dicere (interpolatori tribuit Kiessling). Rud. 966 nihilo pol pluris tua hoc quam quanti illud refert mea. magni Mil. 881 sq. meretricem commoneri, / quam sane magni referat, nihil clam

est. Haut 467 illud permagni re ferre arbitror. Phorm. 723 quid tua malum id refert? # magni. 800 quid istuc nostra? # magni (verbum supplendum est). parvi Phorm. 646 sq. parvi retulit / non suscepisse. Rhet. Her. 2, 4, 7 parvi refert satis spatii fuisse. pluris Bacch. 518 tum quom blandiri nihilo pluris referet. Pseud. 102 non pluris refert quam . . . Rud. 966 cf. s. v. quanti.

interest magni Rhet. Her. 4, 5, 7 deinde interest magni eius, qui eqs.

Genetivus qualitatis cum nominibus coniunctus.

nihili Bacch. 904 ne supplicare (hunc) censeas (tibi), nihili homo. 1188 etiam tu, homo nihili? Cas. 257 armigero nili atque improbo (nihili Merula, nisi codd.) 559 nunc ego illum nihili decrepitum meum virum veniat velim. Merc. 125 nimis nihili tibicen siem (nihil corr. Camerarius). Mil. 180 propter nihili bestiam (nihili bestiam A B² nihil bestia P). 185 sectatu's nihili nequam bestiam. Trin. 1013 ecce hominem te, Stasime, nihili (nihil codd.). 1017 quid, homo nihili, non pudet te? Truc. 333 improbu's nihilique homo. 598 novi hominem nihili (nihil codd.). 695 eu edepol hominem nihili (nihilli B nihil CD). absolute positum Asin. 472 impure, nihili. Cas. 239 eho tu nihili, cana culex. 245 unde is, nihili? Enn. scen 423 illic est nugator, nihili non nauci (est) homo (adn. Vahlen: ante nihili distinxi, ut aut hoc per se stet, velut Asin. 472, aut haec coniungantur nihili non nauci est homo). Asin. 858 sq. scito illum ante omnes minimi mortalem preti, / madidum, nihili, incontinentem.

non nauci Bacch. 1102 perii, hoc servom meum non nauci facere esse ausum. Truc. 611 tympanotribam amas, hominem non nauci?

preti quantivis Epid. 410 servom graphicum et quantivis preti. haud magni Cas. 98 vilice haud magni preti. Curc. 167 sum deus. # immo homo haud magni preti. Mil. 145 meus conservos est homo haud magni preti. Stich. 234 auctionem haud magni preti. maioris Haut. 64 meliorem agrum neque preti maioris nemo habet. Cic. inv. 1,51 si vestem et ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat. maxumi Ad. 891 sq. hominem maxumi / preti te esse hodie iudicav. minimi Asin. 858 scito illum ante omnes minimi mortalem preti. Bacch. 444 eho senex minimi preti. Cas. 594 quid ais,

vir minimi preti? Epid. 494 qui me emunxisti mucidum, minimi preti. Men. 489 flagitium hominis, subdole ac minimi preti. Mil. 558 ratun istic me hominem esse omnium minimi preti? Trin. 925 latuit vir minimi preti?

modi cuius Most. 640. 817. 818. 908. 1117. Rud. 83. 421. 423. Trin. 501. Cato agr. 157, 1. Rhet. Her. 2, 2, 2. 2, 4, 7. 3, 7, 14. 3, 9, 16. 3, 16, 30. 4, 28, 39. quoivis (cf. Luchs, Studemund Stud. 1, 348). Persa 386 quoivis modi hic cum [mala] fama facile nubitur (quoius B quo vis CD cuius A corr. Guyet). Pseud. 741 mel quoivis modi (quovis P modo A). huius Amph. 938. 941. Bacch. 66. Capt. 1033. Mil. 1023. Poen. 824. 1273. Pseud. 823. Trin. 795. Haut. 339. 812. Eun. 746. 873. Phorm. 505. Turpil. com. 201. Met. Num. or. frg. Gell. 7, 11, 3. Rhet. Her. 2 24, 37. 25, 39 bis. 3 2, 3. 3, 4. 3, 6. 4, 8. 6, 11. 10, 18. 4 10, 14. 11, 16. 17, 24. 19, 27. 21, 29. 32, 43. 32, 44. 37, 49 bis. 44, 56. 51, 65. 54 67. 55, 69. Cic. inv. 1, 61. 66. 75. 100. 106. 2, 25. 90. 134. 141. 149. 150. 170. 174. Quinct. 75. absolute positum (significat fere 'sic', 'ut exemplum afferam', saepe simili modo usurpatur abl. 'hoc modo'). Cic. inv. 1, 27. 48. 91. 2, 111. 153. huiusce Cato agr. 157, 4 bis. 157, 5 bis. Rhet. Her. 2, 21, 33. Cic. S. Rosc. 22. 105. istius Epid. 119. Merc. 144. Most. 746. Rud. 321. Truc. 930. Rhet. Her. 4, 35, 47. Cic. Quinct. 31. S. Rosc. 63. 75. illius Ter. Ad. 441. Rhet. Her. 2, 25, 39. absolute Cato agr. 157, 2 de omnibus brassicis nulla est illius modi medicamento (medicamentosior Iucundus). eius Bacch. 676. Rud. 127. Trin. 337. Andr. 93. Phorm. 821. Rhet. Her. 2 2, 3. 4, 7. 5, 8. 27, 43 bis. 29, 46. 3 6, 11. 9, 17. 4 10, 14. 23, 32 bis. 24, 34. 27, 37. 37, 49. 38, 50. Cic. inv. 1, 11. 55. 84. 109. 2, 50. 61. 84 bis. 100. 121. 124. 149. 150. Quinct. 9. 27. 59. 77. 78. 79. 80. S. Rosc. 17. 36. 37. 79. 82. 94. 101. 117. 120. 122. 134. absolute Rhet. Her. 1, 14, 24. 4, 12, 18. alius Fann. hist. 87, 2 P multa amplius alius modi (inventa) atque ante visa essent. eiusdem Cic. inv. 2, 32.

animi Men. 268 sq. tu magnus amator mulierum es, Messenio, / ego autem homo iracundus, animi perditi. de abl. cf. Bennett II 65.

trioboli Poen. 381 non ego homo trioboli sum. 463 condigne haruspex, non homo trioboli.

cibi Vid. 40 sqq. si tibi pudico ⟨homine⟩ est opus et non malo, / qui fidei plenior sit quam servi tui / cibique minimi maxumaque industria, minime mendace, em me licet conducere.

victi Capt. 855 proin tu tui cottidiani victi ventrem ad me afferas.

offici Cic. Quinct. 72 tu aliquem patronum invenies, hominem antiqui offici.

unisubselli Capt. 471 nil morantur iam Lacones unisubselli viros. Stich. 489 scis tu me esse unisubselli virum.

escae Men. 100 sq. itast adulescens: ipsus escae maxumae, / cerialis cenas dat.

sescunciae Pompon. Atell. 111 Pappus hicin medicus habitat, senica non sescunciae?

coloris Pseud. 1196 quem ego hominem + nullius coloris novi (Leo: nullius coloris AP, quod nihil est, certe non 'nescio cuius coloris sit' ut explicant. abl. Rud. 997. Eun. 689. Pacuv. 147. Cato agr. 109).

leporis Pompon. Atell. 163 cuiusvis leporis Liber diademam dedit.

trium litterarum. Aul. 325 sq. tun, trium literarum homo, / me vituperas? fur.

paucorum verborum Enn. ann. 245 sqq. suavis homo, facundus, suo contentus, beatus, / scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbum / paucum (paucum Turnebus: paucorum).

hominum Eun. 408 sq. sic homost: / perpaucorum hominum # immo nullorum arbitror.

plurimarum palmarum Cic. S. Rosc. 17 alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habebatur.

omnium deliciarum, artium. Cic. S. Rosc. 120 ut inter suos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos ex tot elegantissimis familiis lectos velit hos versari (cf. Friedrich, Comm. ad Cat. p. 132).

Multi viri docti iam desudaverunt in ratione investiganda, quae intercedat inter genetivum et ablativum qualitatis; sed, ut fit, fons atque fundamentum diu latuit, etsi singulae res sagacissime observabantur. Tamen etiam explicationibus in universum statutis[1]) aliquid veri inesse infra apparebit, quarum

1) Quas percensuit G. V. Edwards, Ingenium in the Ablative of Quality and the Genitive of Quality, Studies in honor of B. L. Gildersleeve, Baltimore 1902, 301 sqq.

e numero has legentium in memoriam reducere satis habeo: multi grammatici censent qualitates perpetuas genetivo, varias mutabilesque ablativo significari, quibus proxime accedunt ii qui distinguunt inter qualitates innatas atque adventicias vel inter animi corporisque proprietates.

Quas explicationes cum exemplis haudquaquam consentire primum apertis verbis enuntiaverunt Edwards et Wölfflin[1]), quorum opera planum factum est quanti momenti fuerit forma vocabulorum ad casum alterum utrum adsciscendum. Diligentissime enim observaverunt certas voces solo fere ablativo usurpari, velut 'vis, facies, species, par, singularis' atque similia tertii ordinis adiectiva; neque omnes eadem lege adhiberi, vocis 'forma' genetivum Augusti tempore a poetis inductum a posterioris aetatis scriptoribus adamari. In prisco autem sermone ablativi exempla maxime inter omnia praestare. Denique seorsum verba fecerunt[2]) de genetivo et ablativo una adhibitis, cuius rei exempla haec habes in prisca latinitate: Vid. 42 (servus) cibique minimi maxumaque industria et Ad. 441 sq. ne illius modi iam nobis magna civium / penuriast antiqua virtute ac fide.

Quibus locis nihil inesse quod repugnet prisci sermonis consuetudini suo iure statuerunt. Edwards in commentatione[3]) quam conscripsit de vocis 'ingenium' et genetivo et ablativo qualitatis exemplis probavit usum dicendi continue traditum maximi ponderis fuisse. Sed in ipsa ratione enucleanda

1) Von dem sogen. Genetivus und Ablativus qualitatis Arch. f. lat. Lex. 11, 1900, 197 sqq.

2) ibid. 469 sqq.

3) cf. supra p. 83 adn. 1.

parum profecerunt cum hi viri docti tum Hale[1]) qui genetivum qualitatis e genetivis possessivo (velut 'vir ordinis senatorii') et explicativo ('explanatory genitive' velut 'classis centum navium') ortum esse censet. Non nego tales iuncturas aliquid contulisse ad genetivum qualitatis augendum, ad originem autem perspiciendam nil valent.

Ablativi qualitatis naturam primus Delbrück[2]) ex instrumentali sive potius sociativo (Instrumentalis der begleitenden Umstände) explicavit, exempla praebuit Ebrard[3]). Methner[4]) aliqua ex parte hunc ablativum per enallagen nominis et ablativi limitationis ortum esse arbitratur, velut e 'vir magnus constantiā' 'vir magnā constantiā'. Ego hanc explicationem nimia arte excogitatam esse censeo, praeterea moneo etiam in linguis lithuan. slav. theod. similem extare structuram[5]). Itaque si staret Methneri explicatio ad illas quoque linguas transferatur necesse est, id quod nemini probatum iri puto.

1) Transactions and proceedings of the American Philological Association 31, 1900, Proceedings XXXI sqq.

2) Ablativ Localis Instrumentalis, Berlin 1867, 53. cf. Brugmann Grdr. d. vgl. Gr. II 2 ²524 sq.

3) De ablativi locativi instrumentalis apud priscos scriptores latinos usu, NJb. Suppl. Bd. 10, 1878, 575 sq. Plautina habes apud Blomqvistium 79 sqq. cf. Bennett, Syntax of early Latin II, Boston 1914, 317 sqq.

4) Die Entstehung des Ablativus qualitatis und sein Verhältnis zum Abl. modi und zum Abl. absolutus, Glotta 6, 1914, 33 sqq. ibid. 49: der abl. qual. ist teils auf einen ursprünglichen Instrumentalis der begleitenden Umstände zurückzuführen, teils durch eine Enallage eines Nomens mit dazugehörigem abl. limitationis zu erklären; er bezeichnet dauernde Eigenschaften des Körpers sowohl wie des Geistes und steht sowohl attributiv wie prädikativ (mit esse).

5) cf. Brugmann l. l.

At ex exemplis ipsis supra propositis satis dilucide apparet, quaenam ratio inter duos illos casus intercedat. Primo enim aspectu iam vides permagnum esse numerum genetivorum in -ī exeuntium. Reliquas exitus formas composui p. 79 (pluris magni oneris) p. 83 (coloris leporis trium litterarum sescunciae escae rell.) Deinde quanti momenti sit terminatio -i imprimis ex iis exemplis apparet, quae utrumque casum exhibent (cf. supra p. 84).

Quam ad rem explicandam similem genetivi usum afferamus comparemusque oportet, cuius exempla iam supra composui, dico genetivum pretii[1]) qui vocatur; duas huius usus provincias censeo esse secernendas, genetivum cum verbis 'facere esse aestimare' coniunctum et genetivum verbis emendi sim. additum. Neque dubium esse potest, quin genetivus a verbis aestimandi translatus sit ad verba emendi, quippe quibus hi soli adiungantur genetivi 'quanti tanti pluris minoris'. Neque enim modo voces, quae certum ratumque significant pretium, ablativo ponuntur quasi instrumenta quibus merces parantur, sed etiam ea vocabula, quae pretium in universum indicant ablativo casu invenimus posita velut 'minimo' Epid. 295. Persa 590 indica, minumo daturus qui sis. Eun. 74. 'nimio' Most. 905. 'vili' Epid. 51. 'vilissimo' Varro rust. 1, 22, 2.[2])

Adstipulari non possum interpretationi quam in medium protulit Landgraf[3]), qui et genetivum

1) E genetivo pretii genetivum qualitatis ortum esse contendit Methner l. l. 51.

2) cf. Landgraf, Literaturnachweise und Bemerkungen zur lat. Schulgram.[3] Bamberg 1894, 72 sqq. Wölfflin, Der Genitiv des Wertes und der Ablativ des Preises, Arch. f. lat. Lex. 9, 1896, 101 sqq.

3) ibid. 66. 73. idem docet Laing, Stud. Gildersleeve Baltimore 1902, 133.

et ablativum pretii ellipsi vocis 'pretium' ortum esse censet. Neque enim usquam invenimus 'quanti preti' sim. cum verbis aestimandi vel emendi coniunctum, neque exempla ablativi pretii supra allata tali ellipsi explicare licet, quamquam legimus tales iuncturas quales Epid. 120 pretio pretioso. Most. 821 eo pr. Persa 429 eodem pr. 579 suo pr. Men. 289 quibus pretiis Poen. 842 pr. maxumis. Pseud. 169 ut piscium quidquid ibist pretio praestinem; suo enim iure Wölfflin[1]) opposuit e talibus locis nihil colligi posse, quoniam alia quoque adiectivorum neutra similiter usurpentur[2]).

Deinde etiam verba 'refert' et 'interest'[3]) genetivum pretii a verbis 'facere esse aestimare' accepisse verisimillimum est, nam sensui eorum prope accedit 'esse' c. gen. velut 'quanti' usurpatum.

Restant igitur duo genera, quae egent explicationis, hinc genetivus cum verbis faciendi et aestimandi coniunctus, illinc genetivus qualitatis nominibus additus. Iam utrum genus sit prius interrogandum est. Ego cum Wackernagelio[4]) facio, qui censet hunc genetivum primo verbis 'facere esse aestimare' praedicati loco adiunctum, deinde a verbo 'esse' ad nomina esse translatum, ita ut notio praedicativa mutata sit in attributivam.

At usum adverbalem ex adnominali ortum esse contendit Schmalz[5]), qui sumit e iunctura 'hominem non nauci' effectum esse primum 'sumus non nauci' porro 'non nauci habere'. Cui opposuit Wacker-

1) l. l. 103.

2) cf. Thes. 2, 2178 (brevi).

3) Hoc verbum ad exemplum vocis 'refert' cum gen. pretii primo ab Auct. ad Her. coniunctum est.

4) Mél. Saussure, Paris 1908, 133.

5) Lat. Synt. u. Stil. [4]368.

nagel (l. c. 131) omnino structuras attributivas e praedicativis oriri[1]), deinde usum adverbalem late patere, adnominalem multo esse minorem, denique e negatione in iunctura 'non nauci' obvia, quam principio nominibus esse appositam cogitare non possimus, sequi totum usum ex adverbali esse profectum.

Cui si principatum tribuimus, omnia optime explanari possunt; agmen ducunt verba 'facere' et 'esse', sequntur verba aestimandi, quae ad analogiam verbi faciendi genetivum assumpsisse multo facilius comprehendimus quam cum putamus verba aestimandi illius verbi effecisse structuram.

II. De genetivo tituli.

Ad genetivum igitur terminatione -ī formatum atque cum verbis 'facere' (velut 'magni facere') et 'esse' (velut 'tanti esse') et genetivum pretii et partem genetivi qualitatis referre possumus; cuius usus imum fundamentum repperit atque explicavit Wackernagel[2]).

Ostendit enim structuras quales 'multi facere' vel 'nihili esse' partem esse usus vetusti in indica quoque lingua et persica[3]) servati. Namque habemus in Indorum lingua iuncturas quae significant: 1. 'mutare vel mutari in aliquid' velut mithunī́ karoti 'paart, mithunī bhavanti 'paaren sich', samī-kṛ- 'ebnen', brāhmaṇī-bhū́ya 'zum Brahmanen geworden

1) cf. Paul, Prinzipien der Sprachgeschichte, [4]Halle 1909, 140: 'Bestimmung nichts anderes als ein degradiertes Prädikat, Herabdrückung des Prädikats zu einer blossen Bestimmung'.

2) Genetiv und Adjektiv, Mélanges Saussure, Paris 1908, 125 sqq.

3) cf. Bartholomae, Grundriss der iran. Philol., Strassburg 1895, 1, 148.

seiend' 2. 'compotem facere vel fieri alicuius rei' quales krūrī́-kṛ- 'vulnerare', grāmī́-bhū- 'in Besitz eines Dorfes gelangen'. 3. 'aliquid in regionem alicuius rei redigere' vel 'cadere in rationem alicuius rei' velut vaśī-kṛ- 'in potestatem redigere', matī-kṛ- unter die Egge (matyá-) bringen', antikībhū- 'in die Nähe kommen'. De quibus haec lex a grammaticis est constituta: verbis 'kar'-(facere) et 'bhū-' (esse, fieri) eo mode praefiguntur vocabula quorum stirpes in 'a ā i ṛ an' exeunt, ut suffixum -ī pro stirpis nota substituatur[1]).

His exemplis Wackernagel usum latinum explicavit, cuius origo ac natura adhuc latuit, dico genetivum 'compendi facere aliquid', 'lucri facere aliquid' sim. Sed priusquam penitus inquiramus in hunc usum, exempla sunt proponenda.

lucri facere Bacch. 859 nihil est lucri quod me hodie facere mavelim. Most. 354 ecquis homo est, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri? Poen. 771 me esse hos trecentos Philippos facturum lucri. Truc. 690 'a' facio lucri. absolute Persa 668 non edepol minis trecentis carast. fecisti lucri. 713 nam non emisti hanc, verum fecisti lucri. lucri esse Phorm. 61 sq. ubi quid mihi lucrist / te fallere? Most. 801 lucri quidquid est, id domum trahere oportet. (Merc. 553 sq. id iam lucrumst / quod vivis. lucrumst A, lucro st P, num 'lucri' legendum?) c. prp. de Ad. 817 id de lucro putato esse omne. c. prp. in Phorm. 246 omne id deputare esse in lucro. idem 251. absolute lucrum facere Cas. 395. Merc. 95. Persa 494. 503. 689. Truc. 426. cf. Capt. 327. gen. part. Persa 470 quoi homini di propitii sunt, aliquid obiciunt lucri. Pseud. 267 si lucri quid detur. Haut. 747 ne ille haud scit, hoc paulum lucri quantum ei damni adportet.

damni facere Merc. 421 multo edepol si quid faciendumst facere damni mavolo. gen. part. Asin. 182 neque

1) Oblocutus est Ehrlich, Unters. üb. d. Natur der griech. Betonung, Berlin 1912, 68 sqq, quem refutavit Sommer, Hdb. d. lat. Laut- u. Forml. [2.3] Heidelberg 1194, Krit. Erl. 103 sqq.

ille scit quid det, quid damni faciat. Bacch. 1032 quam propter tantum damni feci et flagiti. Merc. 784 non miror si quid damni facis aut flagiti. Pseud. 440 sq. nam tu quod damni et quod fecisti flagiti / populo viritim potuit dispertirier. Eun. 994 sq. num quid est / aliud mali damnive quod non dixerit, / relicuom. absolute damnum facere Capt. 327 est etiam ubi profecto damnum praestet facere quam lucrum. Merc. 237. Lucil. 1346.

sumpti facere Cas. 424 sq. si nunc me suspendam, meam operam luserim / et praeter operam restim sumpti fecerim. Trin. 249 quod exbibit, quod comest, quod facit sumpti (sumptui A sumpti Non. 484, 25). absolute sumptum facere Asin. 217. Bacch. 98. Capt. 856. Stich. 692. Ad. 865. Gracch. or. frg. Gell. 15, 12, 3.

compendi facere Asin. 307 verbivelitationem fieri compendi volo. Bacch. 183 compendi verba multa iam faciam tibi. Capt. 965 fieri dicta compendi volo (dictis compendium, corr. Guyet). Most. 60 orationis operam compendi face. Persa 471 hodie compendi feci binos panes in dies. Poen. 351 si sapias curam hanc facere compendi potes. Pseud. 1141 operam fac compendi quaerere. Truc. 376 sq. si quid tibi / compendi facere possim, factum edepol velim. Pacuv. trag. 175 lamentas fletus facere conpendi licet. Lucil. 771 orationem facere conpendi potes. compendium facere c. gen. Pseud 605 compendium ego te facere pultandi volo. Rud. 179 sqq. errationis fecerit compendium. Stich. 194 ut faciam praeconis compendium. c. dat. Bacch. 159 sq. compendium edepol haud aetati optabile / fecisti. ponere, conferre ad compendium Cas. 517 sqq. cur amem me castigare, id ponito ad compendium, / 'cano capite' 'aetate aliena' eo addito ad compendium, / 'cui sit uxor' id quoque illuc ponito ad compendium. Mil. 781 verba confer maxime ad compendium.

dispendi facere Enn. ann. 13 sq. terraque corpus / quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum (imitatus est Lucr. 2, 1127 et plus dispendi faciant quam vescitur aetas).

aequi facere Mil. 784 sq. ingenuamne an libertinam? # aequi istuc facio (atque istuc faciomdum, corr. ς, Lambinus ['nostri libri veteres']). Haut. 787 sq. ceterum equidem istuc, Chremes, / aequi bonique facio. non aequom facis Bacch. 119. Epid. 723. si a. facias Men. 502. Truc. 616.

boni consulere Truc. 429 quidquid attulerit, boni consulas (bona codd.) Cato or. frg. 9, 1 J. (Gell. 10, 3, 17) eane fieri bonis, bono genere gnatis, boni consultis? (consulitis vulg., consuetis Mommsen). Varro ling. 7, 4 potius boni consulendum, quam . . . reprehendendum (posterioris aetatis exempla praebet Laing, Stud. Gild. 134 sq.).

aequi bonique dicere Phorm. 637 si tu aliquam partem aequi bonique dixeris. gen. part. Aul. 671 sq. ut ego illi aliquid boni / dicam. Curc. 64 sq. neque quicquam queo / aequi bonique ab eo impetrare. Persa 844 certo illi homines mihi nescio quid mali consulunt, quod faciant.

Hunc genetivi usum e genetivo possessivo ortum esse censuerunt Kühner[1]) et Draeger[2]), e partitivo praedicative posito Schmalz[3]), Stegmann[4]), Laing[5]). Priorem explicationem refutare supersedeo, quoniam perdifficile est eas structuras de quibus agimus genetivo possessivo asserere; etenim rarissima sunt exempla verbi 'esse' similiter usurpati, cuius ad analogiam effectae essent illae iuncturae. Neque de genetivo partitivo cogitari licere monuit Wackernagel[6]), quia 'aliquid reliqui facere'[7]) non significet 'nihil facere quod reliquum est' (nichts übriges machen) sed 'facere ne quid reliquum sit' (nichts übrig lassen).

---

1) Ausf. lat. Gram. II 1, 331.

2) Hist. Synt. ^{2}1, 460.

3) Lat. Synt. u. Stil. ^{4}366 adn.

4) Kühner-Stegmann, Ausf. lat. Gram. ^{2}II 1, 452 sq.

5) Gordon J. Laing, Notes on the Latin verbs of rating, Studies in honour of B. L. Gildersleeve, Baltimore 1902, 131 sqq. 133 structuram 'aliquid boni consulere' sic interpretatur 'means to consider something as forming part of that which is good'.

6) l. l. 134.

7) Cic. Verr. 3, 115 quibus nihil non modo de fructu, sed ne de bonis quidem suis reliqui fecit. Sall. Cat. 11, 7. 28, 4. 52, 4. Caes. b. g. 2, 26, 5. reliqui esse: Trin. 14 nil video esse relicui. Haut. 193 quid relicuist? Cic. fam. 12, 5, 2 nihil belli reliqui fore videbatur. contra: Sall. Iug. 76, 4 prorsus ab utrisque nihil relicum fieri. 24, 8 quid est relicum nisi vis vostra? 31, 26. cf. Bacch. 1097 relicuom id auri factum.

Optime ante Wackernagelium de his genetivis egit **Hoffmann**, qui statuit eos loco appositionis praedicativae usurpari atque significare rationem, in quam obiectum verbi ope redigatur[1]). Idem vir doctus cum his genetivis in -ī exeuntibus composuit nonnullas verborum iuncturas variarum terminationum ope formatas, velut 'dotis dare aliquid' sim.[2]) Quas genetivo partitivo a Stegmanno[3]) haudquaquam iure attributas esse probavit Havers[4]); similem enim structuram e dialectis italicis attulit atque hunc quoque genetivi usum, cui Guil. Schulze nomen indidit 'Genetivus der Rubrik'[5]) ex illo suffixo praeverbali -ī originem duxisse censuit. Iam exempla proponam.

poenae. Lex XII tab. 8, 4 (Gell. 20, 1, 12) si iniuriam alteri faxsit, viginti quinque [aeris] poenae sunto (alteri del. Schoell, aeris del. Pithoeus, cf. Fest. 371 M. viginti quinque poenae in XII significat viginti quinque asses.).

multae osc. Tab. Bant. 12 sq. (idem 27) ampert minstreis aeteis eituas moltas moltaum licitud 'dum taxat minoris partis pecuniae multae multare liceto.' umbr. Tab. Iguv. VII B 3 sq. sue neip portust issoc pusei subra screhto est, fratreci motar sins a. CCC 'si non portaverit ita, uti supra scriptum est, magistro multae sint asses CCC (pro genetivo

---

1) NJb 109, 1874, 556 = Studien, Wien 1884, 117 sq.: Genetive, die seit alter Zeit im Latein und namentlich auch bei Cicero an Stelle einer praedicativen Apposition angewendet worden sind . . ., ihr Wesen besteht darin, dass sie den Begriff, den Namen, den Titel bezeichnen, unter welchen das Objekt durch die Handlung gebracht, oder im Sinne dessen die Handlung an dem Objekte vollzogen wird.

2) item Lindsay, Synt. of Plaut., Oxf. 1907, 15.

3) II 1, 429 adn. 7 'Bisweilen wird das Verhältnis umgekehrt, wie Pl. Pers. 394 dabuntur dotis tibi inde sescentei logei statt des gewöhnlichen dos sescentorum logorum, eine Mitgift von 600 Worten'. (idem v. d. II 2, Hannover 1914, 635 Haversii explicationem accepit).

4) D L Z 34, 1913, 1769 sq.

5) in scholis aestiv. a. 1908 teste Haversio.

habuerunt Aufrecht et Kirchhoff, Die umbrischen Sprachdenkmäler II, Berlin 1851, 307. cf. Buecheler, Umbrica, Bonnae 1883, 119. E. Bormann, Miscellanea Capitolina, Romae 1879, 8) Lex Spoletina (CIL XI 4766) II 3 sqq. seiquis scies violasit dolo malo, Iovei bovid piaclum datod et a. CCC moltai suntod. contra Asin. 801 haec multa ei esto, ut eqs. Cato orig. 95 e (Gell. 6, 3, 37) si quis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae multa esto; si quis plus quingenta habere voluerit, tanta poena esto.

dotis. Cist. 561 sq. unde tibi talenta magna viginti pater / det dotis. Merc. 703 em quoi decem talenta dotis detuli. Persa 394 dabuntur dotis tibi inde sescenti logi. Trin. 1158 spondeo, et mille auri Philippum dotis. Truc. 845 sex talenta magna dotis demam pro ista inscitia (dotes B detes CD). Haut. 838 porro haec talenta dotis adposcunt duo. Pseud. Ter. Andr. alt. ex. 21 dotis sex talenta spondeo. c. neutr. pron. Aul. 238 at nihil est dotis quod dem. 258 ne quid dotis mea ad te afferret filia. Curc. 663 sq. ego dotem dabo. / # quid dotis? # egone? ut semper, dum vivat, me alat. Poen. 1279 et dotis quid promiseris. Haut. 937 quid dotis dicam te dixisse filio? 1048 (cur non) quod dotis dixi firmas? Phorm. 409 sq. id quod lex iubet / dotis dare. 722 sq. quantum is voluerit, / datum esse dotis. 929 quae dotis tantundem dabat.

dat. Haut. 942 me mea omnia bona doti dixisse illi (an corrigendum? cf Afran. com. 16) cui dicat dotis paululum).

acc. Trin. 598 sq. eum (sc. agrum) dabo / dotem sorori. 1143 (aurum) quod darem tuae gnatae dotem.

peculi. Cas. 258 cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus. c. neutr. Capt. 1028 quoi peculi nihil est. Cas. 199 sq. nam peculi probam nil habere addecet / clam virum. Most. 253 dabo aliquid hodie peculi tibi.

praesidi. Poen. 670 trecentos nummos Philippos portat praesidi (praesibi A P corr. Gulielmius). c. neutr. Persa 125 marsuppium habeat, inibi paullum praesidi. Haut. 646 ut meae stultitiae in iustitia tua sit aliquid praesidi. Enn. scen. 86 quid petam praesidi?

acc. Rud. 683 nisi quid re praesidium apparas, Trachalio, acta haec res est (praesidi Fleckeisen).

mercedis. Lex de XX quaest. CIL 1, 202, II 33 sq. (eis) mercedis tantundem dato, quantum ei viator(ei) praeconei darei oporteret. Amph. 646 id modo si mercedis datur mi. Bacch. 29 videas mercedis quid tibi est aecum dari. Pseud.

1186 quid mercedis petasus hodie domino demeret? Rud. 1120 sq. ob eam si quid postulat / sibi mercedis, dabitur.

c. adv. Rud. 1315 largiter mercedis indipiscar (cf. Skutsch, Arch. f. lat. Lex. 15, 1908, 43 sqq.).

praemi. Men. 1018 hoc praemi feres. Enn. ann. 337 ecquid erit praemi? Turpil. Com. 209 nihil quicquam a me est praemi. circumscribitur voce 'nomine' Cic. Verr. 3, 140 H S V mercedis ac praemii nomine dare.

preti. Men. 972 sq. quid eis preti / detur. Asin. 128 hocin preti redditur? Most. 878 hoc preti inde abstuli. Eun. 749 neque repeto quicquam preti.

pensi. Truc. 765 nec mi adeost tantillum pensi iam, quos capiam calceos. aliquid non pensi habere i. e. 'non ducere rationem alicuius rei' e. g. Sall. Cat. 23, 2 neque dicere neque facere quicquam pensi habebat (cf. Laing l. l. 135 sq.).

muneris. Mil. 939 quid tibi ego mittam muneris?

doni. Poen. 998 sq. doni volt tibi / dare hic nescio quid. (Amph. 418 quid Amphitruoni (doni) a Telobois datum est, Ussing suppl. doni, dono Bentley, Loman).

Locos quos contuli nequaquam omnia huius usus exempla complecti facile tibi apparebit, si inspexeris materiam a Blomqvistio (34 sqq.) congestam. Sed perdifficile est accurate segregare exempla genetivi partitivi et huius genetivi, cui 'tituli' nomen tribuam; namque adhuc fere omnia haec exempla genetivo partitivo inseruerunt grammatici (Blomqvist 'genetivo quantitatis et materiae'). At tales iuncturas sensu partitivo prorsus carere iam diu a viris doctis est perspectum. Itaque genetivum variis modis interpretabantur; aut nihilo setius pro partitivo habebant atque faceti aliquid vel acuti inesse censebant[1]), aut vi analogiae effectum esse putabant[2]); tantopere enim

1) Reisig-Haase-Landgraf Vorles. not. 530. Kühner-Stegmann II 1 [2] 431 'es soll angedeutet werden, dass der im Genetiv liegende Begriff nur teilweise von etwas ausgesagt werde'.

2) Kühner-Stegmann ibid., Schmalz, Lat Synt. u. Stil. [4] 366 adn.

illum genetivum in consuetudinem venisse, ut pro praedicato quoque enuntiatis insereretur. Cuius rei testimonium afferunt locutionem 'hoc signi est' quam legimus Eun. 628. Cato agr. 38, 4. 88, 2. Rhet. Her. 4, 5, 8. Cic. S. Rosc. 83 ('id') Caes. b. g. 1, 21, 2 (cf. Rhet. Her. 4, 1, 1 satis erit signi. Cic. Verr. 1, 71. Cluent. 109. Sest. 27. quid Amph. 421. 787. Rud. 195. Vid. fr. 11. Cic. Cael. 38. Lucr. 5, 918 nil tamen est signi; cf. Leo Plaut. Forsch. [2] 114 adn. 1). Equidem hanc structuram eodem modo interpretor quo 'lucri facere, esse' sim. Neque enim animum inducere possum, ut arbitrer illam effectam esse iuncturis velut 'quid petam praesidi'[1]). Immo tales locos ad exemplum verborum 'facere' et 'esse' formatos esse sumam, quia — ut iam supra p. 88 monui — semper fere constructio praedicativa vetustior est attributiva, neque enim in exemplis velut 'hoc est signi' genetivum praedicati locum obtinere quemquam ignorare opinor.

Praeterea praesto sunt exempla e quibus colligere possumus, quomodo iuncturae velut 'dotis dare' ortae sint e verbis 'lucri facere, esse'. Non mirum est quod ad analogiam locutionis 'lucri facere' formatum invenimus 'lucri dare' Pseud. 267 si lucri quid detur, quodque alia verba velut 'obicere, adportare' (supra p. 89) illius verbi exemplum secuta sunt (cf. etiam haec exempla Poen. 998 sq. doni volt tibi / dare hic nescio quid. Most. 253 dabo aliquid hodie peculi tibi. mercedis dare cf. p. 93 sq. Poen. 670 trecentos nummos Philippos portat (cf. supra 'adportare') praesidi. Deinde genetivi in -is formam eodem modo atque praeverbale -ī esse usurpatam comprehendimus, cum sumimus iam priscis temporibus illud suffixum

1) cf. Schmalz l. l. Frobenius, Die Syntax des Ennius. Diss. Tübingen 1910, 35.

genetivi formis assertum fuisse in animis loquentium. Tamen verbo faciendi sola terminatio -ī apponitur in prisca latinitate uno loco excepto[1]), dico Titulum Mummianum qui vocatur, cuius sermonem esse perplexum iam supra p. 25 commemoravi. In quo legimus l. 6 'perficias decumam ut faciat verae rationis', quod Mommsen interpretatus est his verbis 'Dei auxilium invocat in computanda decuma, ne error in hac re admissus fraudi sibi fiat'. germanice vertam 'verleihe ihm, dass er den Zehnten richtig berechne' (non aliter ac 'compendi facere' ersparen, 'lucri f.' gewinnen sim.)[2])

In illis igitur iuncturis, e quibus tot genera genetivi profecta esse putamus, dico verba 'facere' et 'esse' cum suffixo praeverbali -ī coniuncta, Romani priscam servabant consuetudinem. Quam etiam in alio usu deprehendere mihi videor, qui adhuc explicatione plana caret; atque etiamsi haud ignoro fere deesse argumenta quibus fulciam sententiam meam, tamen illam in lucem censeo esse proferendam, sive ut probetur a viris doctis, sive ut incitet grammaticos, qui solidiore fortuna usi in hanc quaestionem inquirant.

Omnibus notum est neutra adiectivorum secundi ordinis pronominum neutris genetivo apponi, tertii ordinis adiectiva numero casuque cum illis congruere, ita ut dicatur 'aliquid novi' et 'aliquid utile'.[3]) Rationem

1) Nempe praeter locos qui genetivi partitivi prae se ferunt speciem velut Poen. 802 sq. paullulum / praedae intus feci.

2) Non assentiri possum explicationi quam protulit Buecheler NJb 87, 1863, 777 (= Kl. Schr. I 407) 'man beachte noch . . . den appositionellen Genetiv zu decumam, der auch künstlicher ist als etwa vera ratione'.

3) cf. Kühner-Stegmann, Ausf. lat. Gram. II 1 ² 430 sq. Bennett, Syntax of early Latin II, Boston 1914, 27 sq. 30: this use is confined to a few phrases chiefly 'quid boni' and 'quid mali'.

huius discrepantiae nullo loco verbis apertis edictam invenio; tamen dicat quispiam 'aliquid utilis' ideo non usurpari, quia 'utilis' etiam pro nom. masc. intellegi possit, quam formam quasi ambiguam a Romanis consulto esse evitatam. Esto. At quaenam ratio genetivo alterius ordinis adiectivorum subest? Etenim magnopere vereor, ne notio partitiva quam viri docti vulgo statuunt, prorsus desit illis iuncturis. Sed etiam invenimus 'quid mirum fecit? quid novum (Pseud. 434)' atque nonnumquam adii. sec. ord. tertii ordinis adiectivis iuxtaposita illorum sequuntur exemplum[1]). Rarissime autem tertii ord. adii. eadem de causa genetivo ponuntur[1]).

His argumentis id unum flagitari mihi videtur, ut genetivum secundi adiectivorum ordinis explicemus. Itaque in terminatione -ī res haeret rursusque ad genetivum 'tituli' deducimur, quippe quae significatio multo melius quadret ad tales locos quam notio partitiva. Porro si quaerimus, quomodo factum sit, ut hoc suffixum iam in prisco sermone tam late pateat, id quod supra contendimus nobis in mentem venit, formam in -ī primum cum verbis 'esse' et 'facere' fuisse coniunctam. Quandoquidem magna pars enuntiatorum cum verbo 'esse' formatur neque verbum faciendi raro adhibetur, a quo etiam alia verba illam terminationem assumpsisse supra exposui, vi analogiae usus magis magisque est auctus. Denique cum Romanis suffixi -ī natura parum esset perspecta, hunc tituli genetivum nonnumquam cum partitivo confundebant vel perverse pro partitivo interpretabantur. Hoc igitur loco repetam, quod iam supra (p. 17) breviter ostendi, magnam partem genetivi partitivi

1) cf. Kühner-Stegmann l. l., Bennett II 34, Ziemer, Junggrammatische Streifzüge, Colberg 1882, 75.

genetivi formis assertum fuisse in animis loquentium. Tamen verbo faciendi sola terminatio -ī apponitur in prisca latinitate uno loco excepto[1]), dico Titulum Mummianum qui vocatur, cuius sermonem esse perplexum iam supra p. 25 commemoravi. In quo legimus l. 6 'perficias decumam ut faciat verae rationis', quod Mommsen interpretatus est his verbis 'Dei auxilium invocat in computanda decuma, ne error in hac re admissus fraudi sibi fiat'. germanice vertam 'verleihe ihm, dass er den Zehnten richtig berechne' (non aliter ac 'compendi facere' ersparen, 'lucri f.' gewinnen sim.)[2])

In illis igitur iuncturis, e quibus tot genera genetivi profecta esse putamus, dico verba 'facere' et 'esse' cum suffixo praeverbali -ī coniuncta, Romani priscam servabant consuetudinem. Quam etiam in alio usu deprehendere mihi videor, qui adhuc explicatione plana caret; atque etiamsi haud ignoro fere deesse argumenta quibus fulciam sententiam meam, tamen illam in lucem censeo esse proferendam, sive ut probetur a viris doctis, sive ut incitet grammaticos, qui solidiore fortuna usi in hanc quaestionem inquirant.

Omnibus notum est neutra adiectivorum secundi ordinis pronominum neutris genetivo apponi, tertii ordinis adiectiva numero casuque cum illis congruere, ita ut dicatur 'aliquid novi' et 'aliquid utile'.[3]) Rationem

1) Nempe praeter locos qui genetivi partitivi prae se ferunt speciem velut Poen. 802 sq. paullulum / praedae intus feci.

2) Non assentiri possum explicationi quam protulit Buecheler NJb 87, 1863, 777 (= Kl. Schr. I 407) 'man beachte noch ... den appositionellen Genetiv zu decumam, der auch künstlicher ist als etwa vera ratione'.

3) cf. Kühner-Stegmann, Ausf. lat. Gram. II 1² 430 sq. Bennett, Syntax of early Latin II, Boston 1914, 27 sq. 30: this use is confined to a few phrases chiefly 'quid boni' and 'quid mali'.

huius discrepantiae nullo loco verbis apertis edictam invenio; tamen dicat quispiam 'aliquid utilis' ideo non usurpari, quia 'utilis' etiam pro nom. masc. intellegi possit, quam formam quasi ambiguam a Romanis consulto esse evitatam. Esto. At quaenam ratio genetivo alterius ordinis adiectivorum subest? Etenim magnopere vereor, ne notio partitiva quam virti docti vulgo statuunt, prorsus desit illis iuncturis. Sed etiam invenimus 'quid mirum fecit? quid novum (Pseud. 434)' atque nonnumquam adii. sec. ord. tertii ordinis adiectivis iuxtaposita illorum sequuntur exemplum[1]). Rarissime autem tertii ord. adii. eadem de causa genetivo ponuntur[1]).

His argumentis id unum flagitari mihi videtur, ut genetivum secundi adiectivorum ordinis explicemus. Itaque in terminatione -ī res haeret rursusque ad genetivum 'tituli' deducimur, quippe quae significatio multo melius quadret ad tales locos quam notio partitiva. Porro si quaerimus, quomodo factum sit, ut hoc suffixum iam in prisco sermone tam late pateat, id quod supra contendimus nobis in mentem venit, formam in -ī primum cum verbis 'esse' et 'facere' fuisse coniunctam. Quandoquidem magna pars enuntiatorum cum verbo 'esse' formatur neque verbum faciendi raro adhibetur, a quo etiam alia verba illam terminationem assumpsisse supra exposui, vi analogiae usus magis magisque est auctus. Denique cum Romanis suffixi -ī natura parum esset perspecta, hunc tituli genetivum nonnumquam cum partitivo confundebant vel perverse pro partitivo interpretabantur. Hoc igitur loco repetam, quod iam supra (p. 17) breviter ostendi, magnam partem genetivi partitivi

1) cf. Kühner-Stegmann l. l., Bennett II 34, Ziemer, Junggrammatische Streifzüge, Colberg 1882, 75.

nequaquam esse genuinam; quod genetivi genus iam ipsa natura ut ita dicam creberrimum partem illorum generum, quorum natura tempore procedente erat obscurata, in potestatem suam redegit interdumque ipsius sensu infecit.

Index locorum.

Vita.

Natus sum Bertholdus Raabe Allensteini a. d. XVI Kal. Jun. a. MDCCCLXXXXI patre Henrico matre Catharina e gente Andersch, quibus viventibus gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. In schola civili oppidi cui nomen est Lyck per biennium litterarum primordiis imbutus inde a vere a. MCM gymnasium Lyckense frequentavi; autumno a. MCMII cum parentibus Gumbinnam me contuli, ubi gymnasium quod vocatur 'Friedrichschule' per sex annos sexque menses adii. Vere a. MCMIX maturitatis testimonio instructus inter cives universitatis Regimontanae receptus sum, ubi per unum annum studiis philologicis et germanicis me dedi. Vere a. MCMX Gottingam, autumno Berolinum migravi; anni insequentis vere Regimontium reverti ibique per sexies sex menses cum litterarum tum linguarum historiae operam navavi.

Docuerunt me viri doctissimi

Ach, Baumgart, Bezzenberger, Deubner, Franke, Goedeckemeyer, Haendcke, Heusler, Jeep †, Leo †, Ludwich, Meissner, Norden, Roethe, Rossbach, E. Schmidt †, Schröder, Guil. Schulze, Trautmann, Wackernagel, Weissenfels, Wendland †, von Wilamowitz-Moellendorff, Wreszinski, Wünsch †.

Ad exercitationes benigne me admiserunt

Bezzenberger, Deubner, Franke, Goedeckemeyer, Heusler, Jeep †, Kirchner, Ludwich, Meissner, Mutschmann, Roethe, Rossbach, M. C. P. Schmidt, Schröder, Tolkiehn, Wackernagel, von Wilamowitz-Moellendorff, Wünsch †.

Denique societati graecae a Christiano Jensen gubernatae sex menses interesse mihi licuit.

Quibus omnibus viris doctissimis gratias ago iustas atque debitas, maximas autem Ludovico Deubner, qui qua est humanitate in opusculo perficiendo me adiuvit consilio suo benignissimo.

Examen rigorosum habitum est a. d. III Kal. Jul. a. MCMXIV. Inde ab initio belli stipendia merito graviterque saucio mihi vere a. MCMXVII dimissio data est. Cum dissertationem prelo dandam denuo pertractarem, Carolus Meister ut est comis atque humanus neque operam neque consilium mihi denegavit, cuius beneficii memoriam servabo sempiternam.

